

R. S. G. L. G. Granada

DE

# AVGVSTISSIMO

SS<sup>TM</sup> TRINITATIS

MISTERIO SERMO,

Del colégio de la Compañía de IHS. de Granada

Habitus a P. MICHAEL VASQUEZ

de Padilla, SOCIETATIS IESV,


Facræ Theologie Professore.



LVGDVN

Stimptibus Horatij Cardoni

M. DCXVII.



2 a. 9

Serie:

Estante:

Número:

434

25



11824980

R. S. L. *Perexia*

DE

# AVGVSTISSIMO

SS<sup>MA</sup> TRINITATIS

MYSTERIO SERMO,


Del colégio de la Compañía de Iesu. de Granada

Habitus a P. MICHAEL VASQUEZ

de Padilla, SOCIETATIS IESV,

sacrae Theologie Professore.


B.L.



L V G D V N I,

Sumptibus Horatij Cardoni

M. DCXVII.



2a. 9.

BIBLIOTECA  
GRANADA


Estante:

14

Número:

436

25




111824980

tam præferat: quod denique vel periculis  
suis præsidium, vel honoribus ornamentum  
expetere, aut inuenire maius possint, qui  
rem Christianam laboribus suis tueri &  
ornare volunt, quam cuius optimi qui-  
que cuiuslibet gradus ordinisque homi-  
nes incredibilem pietatem & fidem pa-  
ri humanitate & cum profana tum sa-  
crae Philosophiae cognitione insignitam su-  
spiciunt, & admirantur? Sed hæc alij longè  
melius quam ego, tûque in primis quam tua  
tibique nuncupataire sint, ipse perspicias,  
qui omnium optimè Dionysiacam illam no-  
λύνοιαν ηγετηφίνοιαν, quam hic author in  
abstrusissimo illo Trinitatis mysterio declarā-  
do sequitur, exploratam & perspectam ha-  
bes. mihi certè satis fuerit si hoc quidquid  
& qualemque est muneris nec tibi ingra-  
tum, nec amplitudine tua indignum esse in-  
tellexero, quorum alterum rei qua de hīc  
agitur magnitudo atque dignitas, alterum  
authoris merita pollicentur. Librum itaque  
iam accipe & lege.

Tuæ Dom<sup>ni</sup> Illustris.<sup>ma</sup>  
addictissimus

HORATIVS CARDON.




ILLVSTRISSIMO  
AC REVERENDISSIMO  
D. DIONYSIO SIMONI  
de Marquemont, Archiepi-  
scopo & Comiti Lugdu-  
nenſi , Galliarum  
Primati,

S.


N muneribus id venire  
usu ſoleat, ut eo maximè  
genere capiantur homines,  
que & mole ipsa exigua  
ſunt, & e longinquo peti-  
ta, quod preter vim, quam ferè illis maio-  
rem natura indidit, quandam etiam inſo-  
lentie & nouitatis gratiam p̄fere ferant.  
Hoc non in gemmis ſolum, & lapillis, ſed  
in animantibus etiam obſeruare licet, qua-  
rum, ut queque ceteris nobilitate antecel-  
lunt;

lunt; ita ingentes animos angusto in corpore  
versant. Tu igitur ( PRÆSVL AMPLISSI-  
ME ) hoc quidquid est libelli ob paginae bre-  
uitatem nequaquam spernas: mole quidem  
exiguum & pusillum est, viribus autem  
amplum, & magnum, quod ego ex ultima  
Hispania delatum cum à quadam familiari  
meo, graui & magna authoritatis viro, nu-  
per accepisse; dignum utique & suo, &  
authoris merito quod in publicum prodiret,  
tibi potissimum destinavi. Nec immerito: cui  
enim rectius eius generis monumenta di-  
centur, que de altissimis Religionis nostræ  
mysteriis viri ingenio & doctrina præstan-  
tes reliquerint, quam tibi, qui eius in his  
locis summus Sacerdos, es & antistes: aut  
quem potius illi respiciant, qui vel hominum  
mores emendare, vel sacras & diuinæ ar-  
tes scriptis suis illustrare suscipiant, quam  
eum qui diuinarum rerum scientiam pa-  
θet ut patet ( ut Atticè omnino, hoc est,  
argutè & subtiliter de magno illo antistite  
Hierotheo maximus loquitur Dionysius) &  
sermone ad docendum comparato, & vite  
sanctitate expressam, vel, ut alij interpre-  
tantur, & humano labore quasitam, & di-  
uinitus impressam, atq; in animo consigna-

tata



D E  
**AVGVSTISSIMO  
S A N C T I S S I M Æ  
TRINITATIS MYSTE-  
RIO SERMO HABITVS**  
à P. Michaële Vasquez de  
Padilla Societatis I E S V,  
Sacrae Theologiæ  
Professore.



C D I E R N A hæc , atque an-  
niuersariis sacris Ecclesiæ re-  
presentata totóque terrarum  
orbe celebrata solemnia; eadem  
ipsa hoc non minùs pio, quam  
illustri, ac nobili Sanctissimæ Trinitatis so-  
dalitio , tam illustri pompâ, tamq;que festo  
apparatu frequentata; gloriofissimæ post ho-  
mines natos victoriæ, triumphique maximi,  
& clarissimi memoriam referre videntur,  
quem Deus ipse Opt. Maximus de creatis  
omnibus , cum hominum , tūm angelorum

A mienti

mentibus adeptus sit : neque de iis tantum quæ ab illo ad hanc diem creatæ sint; sed & quas suâ obstetricante , vt sic dicam , omnipotentiâ , in lucem edere omnino posset. Enim uero huic victoriæ reportandæ , diuinus æterni Patris intellectus eousque se intendit, vt infinitæ suæ sapientiæ vim omnem exerens, nonnisi infinitam genuerit sapientiam; & diuina voluntas , non minori contentione succensa tantam sui numinis vim ostendit, vt nonnisi immensum à se amorem produxerit , ac spirauerit; duas videlicet, secundam ac tertiam sanctissimæ Trinitatis personas. Huic tam insigni victoriæ , magnum olim quendam sub naturæ lege theologum , vñumque ex amicis S. Job, in sacræ illius historiæ cap. 36. legimus allusio[n]e: Is quidem fuit Eliu , qui cùm diuinarum perfectionum, veluti per creaturas gradientium exercitum recensuisset , p[er]que illas Deum cognosci dixisset. *Omnis homines cognoscunt eum &c.* et si obscurè illud quidem, confusè, ac veluti è longinquo adeoque infinito quodam distantiæ interiectu, *Vnusquisque intuetur procul &c.* diuinum hoc deinde mysterium innuens , & personarum , in naturæ unitate, numerum perstringens ; nostram illicò deditiōnem , diuinamque de nobis victoriā subdit. Vbi enim vulgo apud nos legitur : *Ecce Deus magnus, &c.* legunt Septuaginta :

*Ecce*

*Ecce fortis multus.* Multitudo , atque pluralitas, vt ex ratione diuinæ essentiæ in D[omi]no sit, prorsus est impossibile: plures siquidem hac ratione Di[u]i essent ; à sola igitur personarum distinctione, petenda , & in eâ solâ sistenda est pluralitas. Atque ad has respiciens Eliu : *Ecce (inquit) fortis multus.* Vnde & confessim vniuersorum nomine deditiōne faciens , viatosque nos confessus, exclamat : *& non cognoscemus &c.* Victoriam ac triumphum, quē de omni humana sapientiâ diuinitas retulit, ei cōcedens: *Vincens scientiam nostram.*

A t q y e hanc quidem tum de creatis omnibus, tum de iis quæ creari possunt, in mentibus victoriā , duplii, vt sic dicam , stratagemate adipiscitur hoc tam sublime mysterium. Vno quidem, se cognosci prohibens; altero verò, ad cognoscendum se præbens, atque illa certè victoria, obscuritatis est; hæc claritatis. Quodq[ue] magis attollit hunc triumphum , prima illa obscuritatis victoria , quâ se cognosci patitur, immensæ lucis obiectu; altera verò hæc claritatis , quâ se cognosci patitur , obscuritatis atque caliginis interuentu refertur. Ænigma nimirūm aliquod videtur hæc oppositio, cùm nonnisi immensa diuini istius admirandaque mysterij præstantia , & excessus sit. Atque in primâ quidem eius parte, non est quod immorer: cùm ad illam nobis declarandam, satis faciat

A 2

simili-

similitudo solis nostri, de quo magnus Dionys. Areop. c.4. de diu. nom. Clara (inquit) expressaque diuinæ bonitatis imago, est magnus hic sol, totus collucēs, ac semper splendidus, &c. quémque Ecclesiæ Patres ceteri, hoc eodem, & huic similibus elogiis efferrunt. Illius itaque magis, quam alterius cuiuspiam rei creatæ similitudine vti, ad supremi huius mysterij qualemcunq[ue] explicationem, in hac concione constitui. Erigatur igitur audax obtutus, & acres, atque acutos oculos, in splendidum istum ex adverso meridianis fulgoribus solem defigat. Quantūcunque profectò pertinaciâ studio-que vincendi contenderit, à præfulgentibus illius radiis se recelli sentiet, tantæque lucis exuperantia obrutus, viçtum se vltro fatebitur, & manus dabit: dum non solùm ex adverso cerni haud se patitur, sed & instantem enixiùs obtutum, in cæcâ quadam caligine, opacitate, atque eclipsi derelinquit.

V s v s est hac similitudine solis nostri visibilis, inuisibiliisque isti mysterio adaptauit sapiens Salomon Proverbiis. Vbi enim nos legimus: *Qui scrutator est Maiestatis, opprimetur à gloria;* alia præterea in fonte Hebraico vocula legitimæ, quæ testè licet ac tacitè, hoc ipsum detegit; nec tam de diuinâ Maiestate, vt vna est in essentiâ, quam de personarum trinitate sermoné fieri admonet. *Qui seru-*  
*tor*

tor est, (inquit) *Maiestatis eorum, opprimetur à gloria.* Quid sibi vult, eorum? diuinorum scilicet suppositorum ac personarū: horum, inquam, scrutator opprimetur quodammodo, & in obscuram ignorantis abyssum, ab immensâ diuinorum fulgurum violentiâ mersus, obruetur; & circumfusâ vndique tantâ luce, suis ipse offusis tenebris caligabit. Quod & in pertinacissimo sanè Ario, Sabellio, & horum similibus, dum stultè ac temerè hoc tam sublime atque illustre mysterium perscrutari vellent, vsuuenisse videamus.

SECVNDA verò ænigmaticae istius oppositionis pars, claritatisque victoria, quâ humiles & subiecti, tenebrarum obscuritatisq[ue] intéruentu, ad huius mysterij lucem, cognitionemque perducuntur, longè admirabilior est, atque subtilior. Meum hoc inuentum, eò non vendico, quod illud ipsum, à me pridem animaduersum, in obscuris admodum Magni Dionysij, Doctoris gentium discipuli, & veræ sublimisque theologiae Magistri verbis quibusdam, postea adinuenierim. Is enim singulari præ ceteris luce præditus, quæ cælitus quidem ei, ad obscurissimorum intelligentiam mysteriorum data cognoscitur, c. i. de mysticâ theologiâ; ad huius mysterij cognitionem perueniendi viam astruit: Præfulgente silentij obscura docentis cali-

gine , vtendo scilicet ipsâ non intelligendi obscuritate , vt rectâ in illud cognitionis aciem dirigam; & lucis vice fungentibus tenebris, pér quas nobis illucescat: & substituto pro verbis silentio , ineffabile nobis illius enarrante atque explicante miraculum.

NEQVE hoc tantum, vit tantus nos doce-re satis habuit: quinetiam addidit, eò maiorem ac splendidiorē mentibus nostris lucem illam sese ingerere , quò hæc obscuritas magis creuerit; & quò minor cognitio fuerit; vel (vt rectius dicam) vbi omnino nulla fuerit, visum visione carentem, oculosque, qui non aperti, sed clausi, tam vehemens lumen intueantur, pulcherrimis replere splendoribus: sic etenim à Perionio traductus loquitur. Quæ scilicet caligo, & eò quòd obscurissimis tenebris ossum est id quod est splendidissimum , maximâ luce illustratum ostendit ac prodit: & eò quòd tractari certique penitus non potest , pulcherrimis splendoribus mentes quæ aspectu carent, præter modum complet. Vel, vt alij adhuc clarius quām Perionius, transtulerunt: Quæ (scilicet) caligo, vbi maximè videretur obscura , ibi supra modum lucem profert exuberantem ; illic sanè quod tangi , viderique nullo modo potest , splendoribus plusquam pulchris ad exuberantiam implet omnes,

quasi

quasi captos oculis intellectus.

ATENIM inueniri fortasse quidpiā simile aliunde poterit, quod diuinæ huic tam obscuræ oppositioni lucem afferat? Omnipotens poterit. Sed nec longiori aliquo ambitu opus erit; quin ipsius de quo haec tenus, solis exemplo, huius assertionis fidē liberabimus. Testis est lib. 3. meteor. ca. vi. Philosophæ Princeps Arist. quod aliquando solis radij nubē aliquam ita attemperatā ferire soleant, vt versus solem diaphana , ex aduerso autem opaca, & in modum speculi terminata , solis imaginem in se suscipiat, eaque veluti solem alterum, in ipsamet nube, ex radiorum (quos Philosophi spirituales nuncupant) reflexione repræsentet. Quin & tres quoque, & plures aliquando soles apparuisse , varij grauissimique auctores memoriae prodiderunt. Verumtamen suberitne fortasse in eo euentu nota aliqua quâ verus nihilominus adhuc sol à falsis & apparentibus internoscatur? Suberit profectò. Nam si apparentem in nube solem adspexeris, animaduerterisq; te illum intueri ex aduerso posse , absque eo quod illius radij officiant oculis , aciemve lædant; manifesto indicio est, hunc solem verum non esse, sed apparentem tantummodo similemque veri , alio in loco solis imaginem , hoc ipso scilicet quod ex aduerso adspici se permittat. Quod si verum deinde

A 4 solem

*De duobus  
Dion. li. 47.  
S. Aug. ep. 80. Zonar.  
in Vitell.*

*De tribus  
Plen. ii. 2.  
c. 31. Europa  
li. 7. Euseb.  
anno ultim.  
Iulij Cesaris  
Pam. an.  
1466. Surius  
an. 1514. G.  
1528.*

*De sex vi-*  
*comerc. li. 3.*  
*meteor. ful.*  
*160. col. 1.* solem intuitus fueris, aduerterisque à radiorum illius vi, aduersam aciem offendit atque obrui: hoc ipso, quod intueri illum & videare haud quaquam possis, clausis tamen oculis, manifeste deprehendis verum hunc solem esse, atque adeò ipsum non videre, est visu discernere verum esse: lucisque vice notitiam ingerit: atque is quidem hac ratione, media obscuritate atque caligine, quam immodi ci illius splendores in oculis tibi efficiunt, claritatis victoriā adipiscitur.

Simili planè obseruatione, vbi Deos suos imaginarios, veluti apparentes hos soles, proposuerit delusa gentilitas: ac Iouem nescio quem tyrannidem exercentem, incestam Iunonem, Venerem meretriculam, Saturnum homicidam, Martem gladiatorem, ac similes ostentauerit; ipsamet nobis intelligentiae innata lux facile deprehendet, eo ipso, quod tam sunt cognitu faciles, pro falsis & apparentibus diis, habendos, quinimò pro ementitis deiculis, vel (vt melius dicam) pro nihilo ducendos, iuxta phrasim Dauidicā Psal. 93. Vbi enim nos legimus: *Omnes dij gentium demonia*, in Hebræo est: *Deiculi, nihil*: Omnes scilicet dij gentium sunt deiculi, in nō nihil. Contra verò, vbi fides Christiana pro Deo nobis proposuerit solem hūc lucis immensæ, supremum, inquam, hunc deum trinum & unum, hoc ipso quod immodi ci

modici eius radij, splendorēsque nimij triadis in personis, & monadis in essentiâ, mentis nostræ oculis caliginem offundūt & glaucomam, vt quod videmus, non videamus, obiiciunt: hoc ipso, inquam, persuasum habere cōuenit, verum hunc solem esse, Deumque verum, qui solus vt talis venerandus sit, quique per tenebras & caliginem, ab immēsâ suâ luce nobis inieictam obscuritatis nos victoriā vincat ac subiuget: subiugatos verò, claritatis triumpho, ad sui cognitionem deducat: hanc ipsam scilicet cognitionem, ita claram ac lucidam, ex obscurâ tenebrarum, quibus immensa nos eius lux antea immerserat, abyssō educens, quemadmodum in supra iam expositis à nobis verbis egregiè docuit Areopagita Dionys. qui id ipsum in 1. ad Caium epistolâ denuò repetens: si quis est (inquit) qui viso Deo, (loquitur autē de visione imaginariâ) id quod aspexit intellect, non cum vidit. Quid ergo vidit? confessim subdit: Aliquid ipsius, quod est, & cognoscitur: aliquod nimirum ex operibus eius, & diuinæ omnipotentiæ effectis, quod esse & cognosci possit. Deus porrò quā ratione videndus sit, idem Dionys. mirabilem in modum explicat. Ipse verò, inquit, qui mentem omnem, essentiāmque superat, hoc ipso quod omnino neq; cognoscitur, neque est; & est excellentius quām essentia, & eius

notitia mentis captum longe superat; Perfectaque in bonam partem ignoratio, notitia eius est, qui superat quæ noscuntur omnia.

SUPEREST igitur ut nec intelligere nos omnino posse, nedū explicare hoc diuinum mysterium confitentes; infirmæque mentis nostræ tenebras captiūmque angustum, linguaeque insuper infantiam agnoscentes, accedamus ad Patrem æternum applicésque ab eo petamus, vt cùm ipse ( quemadmodum ait S. Iacobus) Pater sit lumen, qui-

et.  
z. ad Cor. 4.  
que in creatione mundi facere potuerit, vt de tenebris ( vt ait Paulis ) lumen splendesceret: de intellectus quoque nostri tenebris idem præster; vt splendores eius diuinos in Christi facie, qui imago eius est, reflexos, cognoscamus, atque ad suum, vt dicitur, lumen intuiti, discernamus. Qui dixit ( inquit Apostolus ) id est fecit, de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Iesu Christi. Accedamus item ad Dei filium Iesum Christum, vt ipse scilicet Verbum vnicum, quo Pater æternus vniuersatū quæ intra se, tum quæ extra sunt dicit, nostras infantium linguas disertas faciat, & præfulgente silentij obscura docentis caligine, ex ea ipsa copiosam ac dilucidam loquendi gratiam, ad tam ineffabile mysterium prodignitate explicandum sufficiat. Ac denique accedamus

accedamus etiam ad Spiritum sanctum, qui cùm in huius sacramenti iustificationē ac comprobationem, in linguis igneis apparuerit, earum aliquas vt nobis tribuat postulemus, nostrisque diuinæ gratiæ ferore purificet atque expurget, intercedentc Beatissimā & immaculatissimā Dei genitricē Mariā, &c.

*In Nominē Patris & Filij &  
spiritus Sancti.*

M A T T H. X X V I I I.



A V L V S. Apostolus, cui sanctissima Trinitas in tertium usque cælum ( quo iuxta vestitum sacræ paginæ loquendi morem, empyreum intelligitur ) sublatu, singularē præ cæteris sui lucem atque intelligentiam impertivit, epistola 1. ad Timoth. c. 3. de quodam mysterio quod excellenter sacramentum nuncupat manifestè magnū ita loquitur: *Manifestè magnū est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis, predicatum est genibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloriam.* Patres Græci, vñanimi consensu

ex

12 *De Augustissimo mysterio*

ex Græco autographo legunt. Deus manifestatus in carne, iustificatus in spiritu &c. Verumtamen siue hoc potius, siue illo modo legerimus, locus iste ad mysterium de quo agimus mirè facit: atque eum quidem &c hoc intellexit Magnus ille Alexandrinorum Patriarcha. *Cyrillus lib. 1. de rectâ fide ad Reginas.* Suis, inquit, manifestatus in carne? an non manifestum omnino quod Verbum ex Deo? Ita erit magnum pietatis sacramentum. Idem in hunc locum Apostoli indicat Doctor Angelicus sanctus Thomas. Et quamvis verba hæc profundissima, de verbi diuini incarnatione intelligi & explicari non incongruè possint; eorum nihilominus altitudo atque fastigium magis eminet atque attollitur in hoc sanctissimæ Trinitatis arcano, quod sacramentorum omnium sacramentum, mysteriorumque mysterii singulariter est, & pleno Apostoli ore sacramentum manifestè magnum Christianæ pietatis nuncupatur: atque, ut præclarè admodum dixit idem *Cyrillus*, sacramentum est Diuinæ eminentiæ, quæ in summis est fastigiis. De hoc itaque mysteriorum excelsissimo, ac præ cæteris manifestè magno, visum est mihi hodiernâ die magnifica hæc Apostoli verba interpretari. Manifestè magnum est pietatis sacramentum. In se quidem ipso magnum, tum ratione mysterij,

propter

*n. à. Mario Victor.  
L. 1. contra Arium  
to. q. 1. art. 36.*

*Lib. 1. dial.  
de Trinitate.*

13 *Sanctissimæ Trinitatis.*

propter magnam scilicet obscuritatem: tum ratione Maiestatis ipsius Trinitatis sanctissimæ: quam in se concludit, ac cōtinet. Magnum item insui manifestatione; *Manifestatum in carne.* Magnum in sui iustificatione & sancti Spiritus approbatione. *Inclivitatem in spiritu.* Magnum quoad Angelos, quia *apparuit Angelis.* Magnum quoad homines quia *predicatum est genibus.* Magnum quoad universam mundum; quia *credidum est in mundo.* Magnum denique in utrâque suâ victoriâ, tam obscuritatis, quam claritatis, atque in splendidissimo sui triūphi apparatu ac pompa, quia *assumptum est in gloria.*

S A C R A M E N T U M, seu mysterium idē sonat quod ænigma, hoc est singulare quoddam mentis inuentum, hinc quidem sapientiæ fœtum, inde verò perplexum adeo atque occultum, vt si præstans fuerit ac perfectum; vix, aut ne vix quidem aliis, quam eius auctor atque inuentor ( quantumcumque in cius explicationem interpretationemque mentis aciem intēdat) asie qui eam possit. Quin & hoc ipso quod alius quispiā eò penetrauerit, ænigma illicè esse desinit, cuius tota ratio in arcano atque obscuro sita est: atque adeò si quis eius sensum peruidet, significationisque veluti scopum fixerit, illius auctorem vicisse, ac suo inuento exuisse existimabitur. Atque hoc certè causæ fuit,

cur

14. *De Augustissimo mysterio*

cur Poëtæ olim finxerint, sphyngis ænigmatis ab Oedipo explicato, eam confessim se præcipitem dedisse, ac vitam (quæ sua nimurum obscuritas illi fuerat) finiuisse, atque obortâ manifestæ solutionis claritate, disperuisse, periisseque.

A E N I G M A porrò vt praistans sit, tribus potissimum suæ quasi virtutis insignibus pollere debet: ac primùm quidem eo, de quo iam diximus, vt tanta nimurum sit illius obscuritas, vt nemo aliis, quam qui ænigmatis auctor fuerit, recta in eā ferri, atq; in album, vt vulgo dicitur, id soluendo, intendere possit. Gloriabatur itaque nec immerito, fortis iuxta atque ingeniosus olim Nazaræus ille Samson, quod Philistheorum nemo, quantumvis sua ingenia exacerberent, & vim nervosque omnes mentis intenderent, celebre illud ænigma à se propositū penitus soluere, ac penetrare potuisset. *De comedēte exiuit cibus & de fortis egressa est dulcedo.* Donec suæ illud vxori ipsem et declarasset; ex quâ illi didicerunt, quod de fortis à Sâsone discepti leonis ore, dulcis cibus, fauus scilicet mellis quem in eius ore apes finxerant egressus esset. Vnde meritò etiam illis obiecit: si non arassetis in vitulâ meâ, non inuenissetis propositionem meam.

S E C V N D V M ænigmatis insigne est, vt hæc tanta eius obscuritas & penetrandi difficultas,

*Sanctissime Trinitatis.*

15

ficultas, non ex confusione aliquâ, vel proportionis vlo inter partes ænigmatis defetur oriatur: quin tanta illarum inter se, tamque exacta debet esse consensio, tam perfecta coaptatio, eaque tum distinctione singulæ apparere, tum coniunctione vniuersæ conspirare debent, vt certatim singulæ de se dicere videantur, istud sum: at nemo tamen sit, qui affirmare ac certò assuerare audeat, Illud esse.

T E R T I V M denique, quod ex 2. nascitur est; quod cum primum is qui ænigma inuenit, vel proposuit, eius solutionem nobis indicauerit, atque istud esse dixerit, nemo sit qui hoc non concedat, sibiisque quodammodo non succenseat, quod cum suo illud se iudicio ante proderet, diceretque, istud sum, ille nihilominus non animaduerterit nodumque in scirpo, vti dicitur, frustra quæsiuerit. Tria igitur ista præstantis ac mystici ænigmatis signa, atque insignia, diuino huic de quo agimus sacramento, apprimè congruunt, verbisque Apostoli iam supra memoratis pulchre designantur. Primum quidem, quod est summa eius obscuritas, atque inextricabilis difficultas, ostendit Apostolus dicens, sacramentum fuisse manifestè magnum, nec leuiore quam diuini Verbi incarnati testimonio patefactum, non aliis quam ipsius diuini sanctiisque spiritus ciuisque magna

magnalium argumentis comprobatur. Quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu. Quodque cælestibus etiam ipsis purisque mentibus tanquam omnem alioqui earum captum excedens mysterium, apparuit: quodque hominibus, ut illud crederent, prædicari atque explicari necesse fuit. Apparuit Angelis, prædicatum est gentibus &c. Secundum verò, quod est summa huius mysterij, ut sic dicam, symmetria seu proportio, ex secundo illo, quod in se magni atque mirifici hoc sacramentum manifestè magnum continere diximus, facile demonstratur: ex ipsâ scilicet maiestate sanctissimæ Trinitatis, quæ cum in personarum distinctione, & naturæ unitate consistat, nullam admittit confusionem vel symmetriæ proportionisue defectum: confusionem siquidem excludit distinctiō; proportio autem similitudinem adeo excedit, ut ad naturæ unitatem, &c, ut sic loquar, identitatem perringat: atque adeò manifestè constat, difficultatem obscuritatēmque in hoc mysterio, non ex confusione aliqua, vel parum aptâ partium inter se conuenientia, & conspiratione proficiunt. Tertiū denique nō minus congruit, quam priora: siquidem ubi verbum diuinū humanā carne assumptā, arcanū hoc enigma explanasset, *Quod manifestatum est in carne: dixi sicutque: Baptizantes eos in nomi-*

*ne Patris, & Filii & Spiritus sancti: ( quod loco thematis in principio huius nostræ concionis sumpsimus ) cōfestim, vt ait Apostolus, creditum est in mundo: ita ut ipsi etiā, per vicos & plateas, certatim pueri concinant, *Credo in Deum Patrem, & in Iesum Christum filium eius unicum &c.* Per festam itaque huius fidei pompam ( in qua, vt in primâ suâ epistolâ c.5. testatur Ioan. huius victorię, ac triumphi summa consistit; *Hac est victoria quæ vincit mundum, fides nostra:* ) per huius, inquam, fidei pōpam, de vniuerso mundo triūphum agit; *Creditum est in mundo, assumptum est in gloria.* Atque hinc etiam est quod priusquam glorioso triumpho Christus dominus in cœlum extolleretur, fidelibus suis, tanquam victis & captiuis, sua insignia & sacrosanctum Baptisini characterem imprimi iusserit, in nomine sanctissimæ Trinitatis: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.**

**Q**UOD primum itaque insigne arcani huius ac diuini ænigmatis, videlicet obscuritatem, sufficiat dicere hoc quidem mysterium, in sacris literis, per duplex quod ei obtenditur velum, nobis innotescere. Primum scilicet claritatis, obscuritatis alterum: quæ duo, et si opposita, atque inter se pugnantia videantur, reuerā tamen non sunt, ut mox ex hoc loco declarabimus.

18 *De Augustissimo mysterio*

CIRCA primum sanè claritatis, vt sic dicam, obtendiculum, S. Chrysost. hom. 3. de incomprehensibili Dei naturâ, ea perpendens S. Apostoli Pauli verba epistola primâ ad Timoth. c. 6. *Lucem habitat inaccessibilem;* principio animaduertit, non dixisse Apostolum, quod Deus trinus & unus lux sit inaccessibilis, sed quod lucem habitet inaccessibilem. Porrò si habitatio eius lux sit inaccessibilis, diuina eius substantia quid tandem erit? Amplius animaduertit non dixisse quod lucem habitet incomprehensibile, sed inaccessibile, quod multò plus est quam incomprehensibile. Quod enim inquisitum inuestigatumque comprehendendi non potest, id esse incomprehensibile dicimus: quod autē ne inuestigādi quidem vlo pacto operam patitur, & ad quod nemo proprius accedere potest, id inaccessibile est. Demùn addit, non dixisse quod hominibus lucem habitet inaccessibilem, angelis accessibilem: quippe qui nō hominibus solum, sed vii tutibus etiā superis incomprehensibilis sit. Quod ex celebri illo 6. Isaiae capit is loco probat, vbi cælestes illæ, ac Seraphicæ mentes, alas dicuntur prætendere, & facies suas velare, quod procursantem è solio illo fulgorem, ac prossilientia à diuinæ maiestatis velamine fulgura sustinere non valeant. Verumtamen ut has, plurēisque alias eius eo loco animadversio

19 *Sanctissimæ Trinitatis.*

ueriones missas faciamus; ad hoc immensæ claritatis ac lucis velamen explicandum, non aliâ, quam ipsius solis similitudine vtar; quam & Sibylla in 1. suorum carm. libro attulit, & Ecclesiasticus c. 43. egregiè extulit, atque adauxit. Sibylla igitur, quæ Græcis dicta est Erythræa, fuit autem reuera Babylonie, vt notauit Laet. 1. Diu. inst. c. 6. atque ipsa, tot iam annos antea præmonuerat lib. 1. hisce versibus:

*Hac sūt quæ moneo, Assyriâ Babylone profecta;  
Et tamen ex aliâ patriâ me Gracia dices,  
Ex Erythrâ natam, &c.*

**C**V I V S quidem Sibyllæ tanta est antiquitas, vt si omnino ei fides, in his quæ de seipso eo in libro profitetur, adhibenda sit; nurum ipsius Noë fuisse oporteat, cùmque eo, suoque coniuge, Noë filio, diluuij tempore in arcâ extitisse. Vnde inferiùs paulò ista addidit,

-----*Siquidem cùm dilueretur.*  
*Mundus aquis, cùm vir solus probus exuperavit*  
*Quidam, quem per aquas vexit domus eruta*  
*sylvis,*  
*Et pecudes, & aves, rursum impleretur ut orbis*  
*Eius ego nurus, eis item de sanguine nata.*  
Atque alibi etiam eodem libro:  
*Noë igitur cunctos homines instissimus inter eis.*

*Quod fortuita fui, postquam discrimina mortis  
Effugi, iactata meo cum coniuge multum  
Necnon cum leuiris Glos, sacerog<sup>z</sup>, socrug<sup>z</sup>.  
Hæc igitur tantæ antiquitatis Sibylla, id de  
quo agimus, solis similitudine illustrans ait,*

*Mortalis non spectabilis ulli:*

*Cum neque splendentis radiantia lumina solis  
Sustineant homines mortales cernere contra.*

*Quid mirum si obtutu nostro usurpari non  
possit Deus, si micantes quoque solis radij,  
solem ipsum aspectibus subtrahant, ut non  
sit qui per illos intuens eum prospicere ex  
aduerso possit?*

ENIMVERÒ hanc ipsam similitudinē, Ecclesiasticus in illo, ut diximus, 43. capite, amplius adhuc extulit dicens. Tripliciter sol exurens montes, radios igneos exufflans, & refulgens, radiis suis obcæcat oculos. Tres siquidem, his verbis, liquidò animaduertimus indicari modos, quibus à nostro se conspectu sol iste vēdicat. Primus quidem est, à luce quam in seipso continet, atque à radiis quos à se rectā emittit; cuiusuis pertinaciter aduersum se spectantes obcæcat oculos. Secundus est à repercuſſis eiusdem radiis, qui ulterius, inecto aliquo obice, extendi prohibiti, reflectuntur; eundemque fortius effectum præstant, atque hoc est quod ibi dicitur, *Refulgens*. Tertius denique modus est, ab immenso calore, atque interdum

dum etiam igni, quem ex hoc ipso ab opposito obstaculo repercuſſu producunt, quo quidem oculos vehementer lœdunt, & cætitatem inducunt. De quo dicitur *Igneos radios exufflans*. efficax quippe adeò hæc radiorum solis reflexio est, ut non immensum tantummodò calorem efficeret, sed & ignem etiam accédere, & excitare possit. Quotidianè hoc experientiā videre est, in oppositis soli speculis, eiisque radiis identidem à puncto reflexionis, in quod coincidunt, repercuſſis: Vnde non quiuis tantum ignis, sed tam intensus etiam aliquando accensus est, ut integris seu triremium, seu nauium classibus exurendis faris fuerit. In huius rei fidem, non aliam hoc loco probationem affero, quam quod Galenus auctor grauissimus lib. 3. de temperamentis c. 2. de Archimede Mathematicorum Principe testatum reliquit. Is igitur Archimedes, Syracusas vrbē patriam, ab ingenti, quo obsidebatur, triremium exercitu, non aliter vindicauit, quam magnis quibusdam speculis, tali situ artificioque dispositis, ut collectis in se solis radiis, eosdem à se reflexos in hostilem exercitum classemque coniicerent. Vbi ingenti excitato incendio (adeò scilicet repercuſſi luminis vis creuerat) correpta confestim naualia conflagrarent. Quodque de Proclo haud minùs insi-

gni mathematico in Anastasij imperatoris vitâ refert Zonaras, qui gemino eius generis, de quo iam diximus, inuenito, vrbē Constantinopolim ab infinita hostilium classem multitudine liberavit; dum per reuerberatos similiter ab ingentibus è splendenti chalybe speculis solares radios, excitato incendio, eam omnem in flamمام fauillāmque rededit. Nec vacat item mysterio vox illa tripliciter: quā ex industriâ usus est Ecclesiasticus, ut per eam, à tribus hisce modis, quibus sol iste sui nobis aspectum eripit, ad eos qui à diuino illo sole trino & uno, intellectus nostri intuitum submouent, ascendemus. Atque imprimis quidem solis creati lux, non ab alio sydere accepta mutuò, sed à solis ipsius propria emanâs substantiâ, immensam æterni Patris lucem indicat, quam non ab aliâ diuinorum personarū accipit, sed suam, sibiique propriam in se habet, non solum essentiale quam dicunt, quæ naturæ atque essentiæ ratione illi competit, sed & personalem etiam, quæ diuinæ suæ personæ intuitu illi conueniat. Quæ cùm non minùs infinita, atque immensa sit; offundit atque obruit intellectus quamlibet aciem, quæ natuâ tantummodò perspicacite freta, in eam intendere se posse cōfidat: & quā ratione hic Pater sit, quomodo filium progignat, cæteraque diuinæ istius generationis arcana scrutari

tari non dubitet. Insuper lux solis à speculo repercussa secundam sanctissimæ Trinitatis personam non minùs aptè significat: ab æterno etenim Patre, non secùs atque à sole quodam infinitè lucido, lucis similiter infinitæ veluti radius quidam, progreditur secunda in sanctissima Trinitate persona, quæ est filius; lumen de lumine, ut in concilio Nicæno pronuntiatum est. Radius nimurum iste ratione suæ propriæ personalitatis, in diuinâ ipsâ naturâ tanquam in tertissimo & plusquam chrystallino speculo collectus, reflectitur: quippe cùm ulteriùs progrederi haudquam possit, eò quod proprius illius terminus ipsa sit; omni vi suâ ac splendore coniuncto, in eâ se sistit, atque ex diuinâ istâ reuerberatione, lucem quandam atque imaginem exprimit, non apparentem illam quidem duntaxat, ut in speculis solet, sed substantialem ac subsistente Patris æterni. Atque is quidem radius, siue personalitas, diuinæ intellecti terminus cùm sit; similitudo atque imago intellectualis est, quam & Theologi verbum appellant; & cùm simul diuinæ etiam naturæ terminus sit, imago est plusquam intellectualis, quam iidem Theologi naturalem vocant, filiumque, Patri per omnia tam in essentiâ ac naturâ, quam in essentiæ ac naturæ insignibus & perfectionibus simili-

24      *De Augustissimo mysterio*

*Sap. c. 7.*

mum. Neque verò tam meum hoc inuen-tum , quām diuinæ sapientiæ effatum est. *Candor est(inquit) lucis æterne , speculum sine macula maiestatis Dei , & imago bonitatis illius.* Lux quidem æterna est Pater æter-nus ; qui & principium est diuini radij , à suā essentiā repercutti ; quem hoc loco sa-piens candorem nuncupat , idēmqū est quod splendor & radius reuerberatus: atque adeò in autographo habetur splendor , aut splendescens : & Sanct. Pauli. cap. primo epistolæ ad Hebr. huic loco alludens, splen-dorem dixit , *Cum sit splendor gloriae , & figura substancialis eius &c.* Radius igitur hic reuerberatus , filius est Patris æterni ; qui à Basilio lib. 2. contra Eunom. splendor maiestatis Dei , ex totā eius maiestate resplendens dic-tur. Vnde quemadmodum ratione suæ per-sonalitatis est radius productus *Candor lucis æterne;* ita ratione diuinæ essentiæ ac naturæ , est *speculum sine macula.* In quo perfectius multò , quām in chrystillino orbe , aut spe-culo , solis creati radius; diuinus iste refer-tur : & ratione vtriusque personalitatis scili-cet ac naturæ , speculi & reflexionis , viuam ac perfectissimā omnīs in Patre boni ac per-fectionis similitudine exprimit: *Imago boni-tatis illius.* Ignis denique ille , qui ex solaris , vt diximus , radij reflexione accenditur , Tertiam sanctissimam Trinitatis personam egrediè

*Sanctissime Trinitatis.*

25

egregiè exprimit: ex occursu nimirum gemi-næ istius lucis diuinæ , Patris scilicet ac filij , qui luces intellectuales cùm sint , acièque infinitæ mentis plusquam lynceâ , inuicem se obtueantur , immensāmque vicissim pul-chritudinem suam contemplentur; eius as-pectu pulchritudinis , viuo amoris concepto incendio , veluti in puncto reflexionis , vbi in vnum principium spiratiuum vñā conspi-rant , amatorij; vt sic dicam , ignis radium , qui Spiritus sanctus est , producunt. Et quando-quidem spiratio ista , quā diuinus hic amoris ignis ac radius spiratus ac productus est , ex intento ac scopo suo primario , seu ex suā , vt loquuntur Theologi , ratione formalis hoc non habet , vt in diuinā naturā , tanquam in speculo reflectatur , cùm eius terminus non sit : sed vt in diuino amore , cuius est termi-nus , accendatur; neque diuinā termino pro-ducto naturam communicat , tanquam ima-gini naturali vel intellectuali sui principij , vt de lucis radio in secundā personalitate diximus : idcirco Spiritus sanctus neque est filius , neque imago Patris aut Filij. Verum-tamen quia diuina illa spiratio ex se diuini amoris terminus est , etli imaginem non exprimat , incendit tamen , & amoris ignem , qui Spiritus sanctus est , producit: qui quidem amoris ignis , adeò est efficax , vt sanctissimæ Trinitatis sphæram succēdere , & vniuersum

B 5      amoris

26 *De Augustissimo mysterio*

amoris flammis orbem consumere potens  
sit; adeò ut incarnatum de eo verbum dixerit : Igne m veni mittere in terram, quid volo nisi ut accendatur? Quæ quidem verba,  
communis sanctorum Patrum sententia ,de  
Spiritu sancto interpretatur. Sic Chrysost.  
hom.6.in Matth. Athanas. lib.de cōmuni es-  
sentiâ Parris , Filij,& Spiritus sancti. Cyrill.  
lib.5.in Leuit. Orig. quem sequitur Hieron.  
lib.2.contra Ruffin. Aug. serm. 108. de tem-  
pore,& alij multi. Tribus itaque admirabili-  
bus hisce modis , diuinus hic sol , trinus &  
vnus , immensa lucis obtento velamine , ab  
omni creatæ mentis aspectu se subducit.

**A L T E R V M** ergo obtendiculum , seu  
velamen , obscuritatis esse diximus atque  
caliginis: de quo certè adnotasse operæpre-  
tium fuerit , quòd quotiescumque ferè Deus  
in sacris literis se videndum præbuisse per-  
hibetur, vt 16.Exo. Isaiæ 6. Apocal. 11. & pas-  
sim alibi,nubibus semper densis circumda-  
tus , atque atrâ caligine ac tenebris circum-  
fusus , apparuisse perhibetur. Quæ omnia,  
nihil reuera aliud , quām velamen istud obs-  
curitatis, quo à nobis Deus absconditur, præ-  
se ferebant : atque huc spectant illa Daui-  
dis Psal. 16. *Nubes & caligo sub pedibus eius.*  
& Psal. 17. *Posuit tenebras latibulum suum.* Quo-  
rum hæc vna est sententia, quod Deus à no-  
bis se subducat , atque inter obscuras den-  
sasque

*Sanctissimæ Trinitatis.*

27  
sásque tenebras abdat , atque abscondat: de  
quibus scilicet tenebris, in epistolâ ad Caiū  
Magnus Dionys. sic loquitur : Tenebræ  
quæ ei obductæ ac offusæ sunt, & tectæ sunt  
omni lumini, & fugiūt omnē scientiam &c.  
Enimverò ad hoc obscuritatis inuolucrum  
alluserunt olim Ægyptij , primum rerum  
principium appellantes tenebras incogni-  
tas, tenebras super omnem cognitionem; ter  
istud repetentes , quemadmodum Dama-  
scius Platonicus de iis retulit : quâ quidem  
trinâ repetitione , diuinas tres personas in-  
nuerunt , nobisque indicarunt , carum sin-  
gulas, tenebrarū velo obtectas, omni mentis  
nostræ aspectui inaccessas esse. Eodem allusit  
Orpheus in li.de verbo sacro,tali carmine,

-----*Cernere quis sit*

*Nequaquam valeo,nam nubibus infidet alius.*  
Et in libro quem scripsit ad filium suum Mu-  
sæum,

*Hunc ego non video , nubes quia densa resiftit.*  
Primus verò post Orpheum videtur fuisse  
Stesichorus , qui cum aliquo diuini huius  
mysterij veluti per crepusculum affulsi ,  
deam Mineruam , quâ sapientiam intelle-  
xerat , mysticè delineauit. Hanc enim ex  
Iouis Parris sui capite prognatam fidcir-  
cò dixit , vt diuinam sapientiam, qui est ve-  
rus Dei Filius, à diuinâ æterni Parris mente  
genitam indicaret. *Quod Stesichori inuen-*  
*tum,*

*Apollon. lib.* tum, imitati sunt Apollonius, Pindarus,  
*Argonaut.* cæterique quotquot deinceps secuti sunt  
*Pind. Olymp.* Poëtæ, cùm Græci, tum Latini. Quinimò vt  
 7. velamen insuper obscuritatis in hoc arcano  
 mysterio adumbrarent, deæ suæ Mineruæ  
 ita effectæ, vultum etiam velo tegebant, hac  
 inscriptione, vt refert Plutarchus in lib. de  
 Iside & Osyride: Meum peplovm nemo ad-  
 huc mortalium detexit. De eiusdem quo-  
 que Mineruæ imaginibus, ab Apelle, vt Pati-  
 faniæ aliisque auctores grauissimi meminé-  
 re, depictis constat, quòd vt hoc obscuri-  
 tatis velum clariùs indicarent, summæ  
 obscuritatis difficultatisque inaccessibilis  
 signis ac symbolis, ab eo appositis, exorna-  
 tæ fuerint. Vnde & galeam capiti affinxit, cu-  
 ius vertici sphynx ænigmatum inuentrix, &  
 arcanorum symbolum mysteriotum, insi-  
 deret; duos quoque hinc inde grýphes ad-  
 didit, aquilino capite atque alis, humanum  
 quàm longè ea obtutum excederet indican-  
 tibus; leoninis verò corporibus, ad hos qui  
 temerè atque inconsulto accedere ausi fu-  
 sent, vnguis discerpendos: medium  
 deinde eius pectus intorta vipereis crinibus  
 Medusæ tempore, vultusque terribiles ob-  
 debant, vt obtentâ formidline, ad tam me-  
 tuendæ imaginis ac formæ contemplatio-  
 nem, propius accedere nullus auderet. In-  
 somnis porfò, illius pedibus draco subie-  
 ctus,

ctus, fidam eius custodiam, vigilantiāque  
 perpetuam denotauit, vt omittam interim  
 quam dextrâ hastam minax vibrabat, armá-  
 que cætera siue tutam, siue terribilem fa-  
 cientia, quibus instruebatur: vt ex his sum-  
 mæ obscuritatis symbolis, difficultatisque  
 omni industriâ superioris insignibus, agno-  
 sceremus, quàm longè mentis captum con-  
 ditionémque excederet velum hoc, quo ob-  
 tenditur tam illustre mysterium.

A T Q Y E hi sanè omnes, tam Aegyptij,  
 quàm Orpheus, Stesichorus, & Græcorum  
 cæteri, arcanum istud de diuinarum multi-  
 plicitate ac numero personarum, déque  
 immensâ eas intelligendi difficultate atque  
 obscuritate, ex iis didicerunt, tum quæ san-  
 cti olim Patriarchæ Aegyptios docuerunt;  
 tum quæ Moyses in diuinis postea literis  
 scripta propagauit.

ETENIM (& speciosè quidem primâ fa-  
 cie) dicet fortasse quispiam: quo pacto duo  
 hæc velamina, immensæ putâ claritatis vnū,  
 alterum non minoris obscuritatis atque ca-  
 liginis, adeò inter se opposita ac pugnantia,  
 conuenire nihilominus & constare possunt?  
 Aut tanta lux, quidni caliginem certè om-  
 nem tenebrásque dispescat? caligo verò tan-  
 ta ac tenebræ, quomodo non lucem omnem  
 obruant atque extinguant? Tenebræ siqui-  
 dem nihil aliud sunt, quàm defectus & pri-  
 uatio

uatio luminis. Enim uero non sunt duo ista, ut videntur, velamina inter se opposita, sed illa ipsamet lux immensa, & cognoscibilitas, ut sic dicam, infinita Dei, quam claritatis velum quoddam esse diximus, Deo praetentum, cum infirma atque imbecilli nostrae mentis acie collata, tenebrae & obscuritas est, propter exuperantiam illam adeo infinitam, quam obtutus nostri debilitatem lux tanta obruit: atque adeo egregie admodum in hanc sententiam dixit Anselmus: Omnis lux, quae praenimietate claritatis non potest aspici, recte caligo, & inaccessibilis dici potest, & meritò: nam utraque idem præstant, & seu caligo se offuderit, siue lux nimia effulserit, ambo visum iuxta impediunt. Probat hoc idem Sanctus exemplo solis: cuius lux nimia nihilo minus eum ex aduerso adspici non permittit, quam si tenebrae aut caligo essent. Quamobrem ita Deum alloquitur: Tenebratur oculus infirmitate suâ, aut reuerberatur fulgore tuo; sed certè, & tenebratur in se, & reuerberatur à te. Vtrumque à magno Theologiæ doctore ac magistro Areopagita Dionysio, Anselmus didicit. Qui Dionys. in epistola ad Dorotheum sic ait: Diuina caligo est lux, ad quam aditus non patet, in quam Deus habitare dicitur; quam quidem nec cerni potest, præ excellenti claritate, neque adiri eadem, propter singularem

*In explanatione festionis de transfiguratione ex c. 17. Matthæi.*

*Ansel. c. 14. Prologij.*

rem diuini luminis effusionem. Atque ut Propheta Regius Psal. 138. afferit tenebras coram Deo obscuras non esse, & noctem non aliter ac diem illuminari, qui æquè ac si lux esset, illam peruidet. *Tenebrae (inquit) non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur; sicut tenebra eius, ita & lumen eius.* Similiter ratione & nos poterimus ex aduerso dicere, quod intellectui nostro composita lux diuina, tanquam nox ac tenebra sit: nam ut has videre non possumus, ita neque illam discernerere. Vnde & in sacrâ Scripturâ, veluti synonyma sese habent, splendor & gloria ex parte Dei; ex parte vero aspectus atque intellectus nostri, tenebrae, & caligo. Atque, ut alia multa huius exempla pertranscain, liquidò hoc testantur verba illa ca. 8. lib. 3. Regū: *Nebula implenit domum Domini, & non poterant sacerdotes stare & ministrare propter nebularum, implenerat enim gloria (id est splendor & lux) Domini, domum Domini.*

A T Q U E ex his omnibus aperte constat, quam meritò sanctus Apostolus hoc ænigma obscurissimum, occultissimumque mysterium, appellauerit sacramentum manifestè magnum, quod huiusmodi summæ lucis, extremæque caliginis velaminibus tectum abscondebatur.

A M P L I V S etiam, ut hanc caliginem cognoscendique difficultatem in maius efficerat,

32      *De Augustissimo mysterio*

efferat, tria circa hoc sacramentum admirabilia, perpendenda adiicit. Primum quidem quoad angelos; apparuit angelis. Breuibus nimirum hisce verbis nec pauca, nec leuia mysteriorum momenta complectens. Nam dum angelis apparuisse dicit, tantam esse indicat vnius trinique Dei celsitudinem, ut cum omnem naturae ambitum, omnemque angelicæ etiam mentis vim captumque excelleret, necesse fuerit, ut ipsemet illis ultra appareret: quod neque eorum volatus ad eum ascendere, neque aspectus in eum contendere posset: adeò ut communis ac verior Theologorum sit sententia, quod, etiamsi aliqua huius mysterij cognitio, qualitercumque innotuisset, si naturalibus tantum mentis suæ viribus in illud ferréatur, in tantæ abyssi profundo, cogitationis veluti pedem sistere, gressumque figere nullatenus potuissent: tantique miraculi difficultate obruti, pro impossibili habuissent, neque in hanc vñquam mentem incidissent, ut duo hæc diuina extrema, monadem scilicet in naturâ, & triadem in personis, coniuncta esse iudicarent. Nam si vnam essentiam ac naturam agnouissent, vnam in eâ personam tantummodo censuissent: tres personas, tres similiter essentias arbitrati fuissent. Vna veritatis inuentæ parte, alteram perditum atque impugnatum euntes. Nunc vnitatem essentiæ,

per

*Sanctissima Trinitatis.*

33

per triadein personarum, nunc vicissim ex aduerso triadem personarum, per essentiæ vnitatem abnegantes: quemadmodum de hæreticis acute initio libri aduersus Praxeam animaduertit Tertullianus. Neque minùs impossibile visum eis fuisset, quandoquidem diuina essentia eadem omnino res cū Patre sit, potuisse eam à Patre communicari Filio, atque à Patre & Filio, Spiritui sancto, absque eo quod simul communicarentur personalitates. Communicato siquidem uno, & nō altero, vnum atque alterum esse, atque adeò distinctionem personæ nō communicatæ, à naturâ communicatâ esse conciluissent. Similiter & in personarum æqualitate allucinarentur: in Patre siquidem æterno, potestatè ac vim Filium gignendi agnouissent, eā tamen in Filio desiderassent, in Patre & Filio vim spiratiuam ac sancti Spiritus produciuam deprehendissent; at in Spiritu sancto, neque generatiuam ut in Patre, neque spiratiuam ut in Patre & Filio, inuenissent, cum vna nihilominus perfectior aliis persona non sit, neque priores duæ tertiam excedant: atque ita rem sine dubio incredibilem esse statuissent. Sed nec minùs profectò in diuinorum inter se processionum, ut vocant Theologi, inuestigando discrimine aberrassent, & ratione dandâ, cur processio Filij generatio sic dicenda, Spiritus sancti nō item.

C

Ac

Ac ſimiliter in cæteris diuini iſtiū arcani mysteriis tā ſingularibus, quām omnem intelligentiam ſupergreſſis; vnde meritò ait S. Paul. quod apparuit angelis.

D v o nihilominus hīc adnectam, quæ momenti non parum afferant, ad ſummam huius mysterij obſcuritatē atque altitudinem indicandam, ex parte angelorum, etiam cūm illis iam apparuiffet, & reuelatum fuifet; atque illi ſupernaturalis gratiæ ſubſidio nixi, eius fidem iam concepiffent.

P R I M V M quidem eſt, quod cūm Lucifer, atque illius ſequaces ſpiritus, aduersus Deum inſoleſcentes, æquales ei fieri affeſſarent; *Ero ſimilis Alijſimo.* quoad modum ſaltem, ſuam à ſeipſis beatitudinem obtinendi, neque diuino eam beneficio, in bonorum operum præmium, acceptam reſerrendi, quantumuis eā procacitate ac ſuperbiā contra Deum ſe extuliffent, tantam nihilominus de huius ſanctiſſimæ Trinitatis ſublimitate opinionem retinuerunt, vt nec ipſa eorum ſuperbia, omnium maxima, eō aliquando arrogantiæ eos euexerit, vt in hoc quod eſt trinum ac vnum eſſe, Deo exæquari ambiuerint. Cūnque eō infaniæ vanus atque impudens eos tumor adegiſſet, vt rem adeo imposſibilem, atque etiā Deo in beatitudinis obtinendæ modo ſimiles eſſe, concupiſcerent; haud quaquam tamen ita in hac

ſua

ſuā elatione euauerunt, vt de hoc, quod eſt trinos vnoſque fieri, vel leuiffimè cogitauerint. Tanta nimirum eſt altitudo, ac ſublimitas huius mysterij, vt eo contemplando & innata Angelicæ intelligentiæ perspicacitas hebetetur, & obſtinatæ voluntatis peruicaciā, contentiōque frangatur.

S E C U N D U M verò, quod vbi iusto Dei iudicio, meritas ſuperbiæ poenas dantes iam cælo excidiffent, cūm magnâ diuinæ injuriæ cupiditate, & furiali in Deum odio perciti, illius nomina ſibi vſurpassent, atque oracula, templa, ſacrificia, milléque alios collendi ritus, ſoli Deo debitos, arrogaffent: nullibi tamen haſtenus auditum aut lectionem nouimus, aufos aliquando hoc ſibi aſſuere, vt ſe trinos vnoſque eſſe, vel maximè credulis, ſuperstitiōſisque ſuis cultoribus, perſuadere tentarent. Adeo ſupra conditioniſ ſuæ captum viſo illis hoc mysterio, tam intellectu difficiili, tamque obſcuero, vt vel credulos maximè populorum animos, alienaturum potiū, quām in ſuī cultum admirationemue tracturum, videretur. Atque hæc non dubiè magna & admirabilis veritatis vis atque præstantia eſt, in hoc ſublimi mysterio, quod cūm nihil omnino vel ſenu delectabile ac iucundum, vel intellectu blandum in ſe contineat; quinimò tam magnam ac difficilem mentis deditiōnem ac ſubie-

ctionem exigat, ex eosque ac suspensos ab omni sensibilis experimenti iudicio oculos, intellectumque ab omni rationis innatae ductu reuocatum; ac retentum; orbem nihilominus peruidens vniuersum debellauit, fidemque extorserit; *Creditum est in mundo: deque eo, tam claritatis, quam obscuritatis gloriofissimam (vt iam antea innuimus, & mox fusi explicabimus) relatâ victoriâ, triumphauerit: Assumptum est in gloriâ.* Solâ vnius trinique Dei omnipotentia facinore dignissimo. Sed & alia quoque idem Apostolus, quod ad homines similiter attinet, nihilominus expêndenda, atque aestimanda adiicit: *Quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, prædicatum est in gentibus.* Ac si diceret: tanta est huius enigmatis, ac Sacramenti manifestè magni obscuritas, ac difficultas; vt quamvis multa eius indicia præcessissent, nondum tamen ut credereatur persuaserit, donec Dei Filius carne assumptâ, per se primum, mox verò per discipulos, testimonium de eo tulisset; ac Spiritus etiam sanctus id ipsum comprobans, atque (vt Apostoli verbo utrius iustificans, apparuerit. Quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, prædicatum est in gentibus.

No n immorabor hoc loco in iis, quæ iam tum affulgente aliquo quasi crepusculo huius

huius mysterij, Sibyllæ diuinitus inspiratae susperixerint; mundoque ac mortalibus credenda proposuerint. Quarum una lib. 8. suorum carminum ita cecinit,

*Quæ ibi, quæ tuo nato annuis ipse patranda.*

Aperte nimis, vt videtis, habitâ duarum primaruim in hac triade personarum mentione: de tertiatâ verò, hoc est, de Spiritu sancto lib. 3. sic meminerat:

*Namque Dei nescit mentiri Spiritus orbi. aliisque etiam in locis, breuitatis à me gratiâ prætereundis.*

Neque similiter immorabor in Zoroastris oraculis (qui secundum credibilem sententiam Cham Noë Filius fuisse creditur) vel recensendis, vel expêndendis. Qui, inter cætera sua apud Chaldaeos oracula, sic scripsit. Cum omnia Pater perfecerit, & meti tradiderit secundæ, &c. Neque in eo quod Thulidi Regi percontanti, respondit Serapis: percontanti, inquam, ecquis ante eius regnum potuisset tanta, aut quis post eum futurus? cui illa respondit. Primum Deus, deinde Verbum, & Spiritus cum eis, cuius potentia est æterna. Neque in aliis multis apud Trismegistum in Pimandro, Platonem etiam cæterisque Philosophos, quorum pleni sunt Augustini Eugubini Episcopi, viri eruditissimi, de perenni Philosophia libri. Solummodo à curiosis hoc loco rerum

38 *De Augustissimo mysterio*

æstimatoribus sciscitabor, ecquid ea omnis Philosophorum doctrina ad hoc contulerit, vt mundum omnem huic mysterio, per eius fidem subiiceret? Enim uero struendæ fallaciæ, quam veritati adstruendæ, magis valuit. Vnde nec immerito Patres sancti huiuscmodi Philosophos, hereticorum Patriarchas intinxerunt. Quippe qui suam arbitriam sectati, diuino lumini rebelles extiterint, & à purâ ac sincerâ huius mysterij veritate semper abstiterint.

**A M P L I V S,** in lege scriptâ etiam nouimus S. Moysen, Dauidem Prophetam, Salomonem, Isaiam, Oseam, cæterosque innumeris in locis eius meminisse: Hebreos vero nihilominus ab eius sibi persuasione tam longè absuisse, vt idololatriæ, & multorum deorum introductionis loco, illud habuerint, & etiam nunc habeant. Atque ut plura hac de re loca nunc præterea, quibus eruditiorum aduersus Iudeos scriptorum libri passim abundant; liber tantum hic exire, cur Moyses initio Genes. primis statim illius verbis, diuinorum triadem personarum tibi innuerit? Et quia eius loci mentio facta, in aliam etiam huic concessui accommodatam quæstionem dicit, ad eam diuerisse aliquantulum, atque in eâ soluendâ substitisse, fraudi non erit. Cur videlicet sub nomine Iudicium potius, quam sub alio aliquo

ex

*Sanctissime Trinitatis.*

ex tot Dei nominibus, appositi magis, vt videbatur, ad eum locum se offerentibus, diuinas Trinitatis personas adumbrauerit? Vbi enim nos legimus, *In principio creauit Deus cœlum & terram:* in Hebræo contextu legitur, *In principio creauit Eloim* (id est Iudices) *cœlum & terram.* Quem sanè locum, de hoc mysterio interpretatur Magister sententiæ, coniunctisque cum eo sententiis, Theologi ferè omnes, atque ex Scriptuæ sacræ interpretibus eruditiores non pauci, in cap. pri. Genes. &c alibi saepe obseruantque omnes, quod Moyses pluraliter usus distinctione Eloim, quæ Indices significat, diuinorum pluralitatem personarum, & per verbum singulare, hoc est, creauit, diuinæ essentiæ ac naturæ unitatem indicare; utrumque vero, hoc est nomen plurale, cum verbo singulari contra quam Grammatices præcepta ferant &c. coniungens, magni atque insoliti in hoc latentis mysterij nos admonere voluerit. Neque satisfacit quo runda, qui in contraria sunt sententia, Doctorum responsio, qui Rabbinos sectiti, formam hanc loquendi principibus consuetam esse assertunt, vt pluraliter quispiam sese nominet, *Nos mandauimus &c.* Siquidem vt hoc facile concedamus, in nullâ tamen apud eos loquendi formulâ id consuetum, vt nomen plurale, cum verbo singulariter significante coniungant:

Burgens.  
Cira. Gala.  
Eugubii. Bi.  
poman. Hi.  
mer. Ceterin.  
Vielm. Ge-  
neb. lib. 2. de  
Trin. Camo-  
ra i. p. mo-  
narch. lib. 2.  
Symbol. 3. §:  
3. & seq:

C

4

gant: ac si quis diceret; *Nos mandauis, &c.* quantumuis plurim nonnunquam numerum pro singulari substituant.

A T Q V E, vt multa insuper argumenta prætermittam, quibus Genebrardus l. 2. de Trin. hoc ipsum eruditè comprobat, neque subtiliorem hoc loco præsentis sententiæ confirmationem astruam; diligentiusve excutiam, an hic proprius sit Hebræorum idiomatismus, vt recentiores nonnulli innuunt, nomen plurale cum singulari verbo coniungere. Mihi certè hac Magistri sententiarum interpretatione tam receptâ, tamque ad rem presentem accommodatâ vti licebit: iuxta quam, primi illius, de quo dubitauimus, rationem reddere non erit difficile. Neque enim exordiri aliunde aptius hanc suam historiam de orbe condito, Moses poterat, quam Sanctissimæ Trinitatis mentione habitâ, quæ orbi ipsi exordium, condendo dederat, &c.

D I F F I C I L I O R I s paulò negotij res erit, secundæ interrogationi ( cur scilicet appellatione Iudicium potius, quam alio aliquo ex diuinis nominibus triadem hanc sanctissimam expresserit;) accommodatè respondere. Quid enim? an non accommodatiū forasē usurpasset nomē Dei ineffabile, *Qui est?* Principium scilicet à quo omnia: quoad hoc enim præcipue in creatione mundi

mundi eminebat Deus, quod principium scilicet esset, vt vniuersa quæ sunt, per illam essent. An nō rectius etiam appellasset Omnipotentem? Mundum siquidem creando ex nihilo, suam clarissimè omnipotentiam ostentauit. An non liberalem aut magnificum, qui eos diuitiarum thesauros distribueret? An non sapientem, cuius infinita scilicet sapientia, in pulcherrimâ dispositione & admirabili creatorum omnium concentu concordiâque mirificè elucebat? Respondeo nihilominus, atque assero, mirâ sapientiâ& singulari diuini Spiritus afflatu, hoc præ ceteris Iudicium nomine prophetam eo loci usum fuisse. Cum enim cœtui ac Reipublicę humanæ principia Deus constituisse diceretur, par fuit vt amantissimi Patris operam exhibuisse cognitus, vna etiam pro Iudice haberetur. Cæteroqui fiducia paternæ indulgentiæ animo præcepta, filiorum audacem licentiam accendere poterat; at opinio seueri Iudicis, cuius sit delicta corrigere, & pro noxâ pœnam infligere, subditorum animos ( ne quis obnoxium illi se constituat ) à peccato renocat, atque absterret; & quantumuis præceps efferumque ingenium, metu coërcet. In quo certè, non obscurè etiam nos instruxit, quanti intersit, eos qui rebus publicis præsideant, Iudices ac Censores, non solum benefaciens

42 *De Augustissimo mysterio*

do ac præmia largiendo Patres se exhibere, Deique exemplò , in subditos bona multa distribuere , sed in exequendâ etiam illâ quæ ad puniendum spectat iustitiâ, integrōs se se inflexosque gerere ; ne dum seueritatis opinionem eleuant, instituta coercendæ licentiæ ac malis artibus fræna , dissoluant. Eorum ergo integritas , largitionum corruptelam , amicitiarum gratiam , intercessio- num importunitatem, conquestionum acerbitatem, officiorum delinimenta, aut si quæ alia à bono & æquo declinare faciunt , vel detorquent, nullatenus debet admittere: tum obrectatorum, si quæ sint de hac tantâ seueritate querimoniæ , eæ quidem pro maximis optimorum Iudicium laudibus potius, quam pro querimoniis habendæ sunt. Neque verò tam in hoc mihi , quam Prophetæ regio fidem postulo, qui Psal. 47: cum Deo supremo Iudice in hunc modum colloquēs, eadem omnīa, quæ iam diximus, profiteretur. Suscepimus (inquit) Deus misericordiam tuam , in medio templi tui. Confiteor , inquit, ô Deus , misericorditer bona plurima beneficiaque à te collata nos suscepisse : verumtamen laus tua, supremini Iudicis propria, non ex eo tantoperè aestimanda est. Secundum nomen tuum Deus (eloim) sic & laus tua in fines terra. Secundum hoc videlicet , quod nomen iudicis de te pollicetur , vniuersum orbem

*Sanctissimæ Trinitatis.*

43

orbem peruagata est laus tua. Ecquid porrò istud est quod de eo pollicetur nōmen Iudicis, vnde & laus propria eius accipitur ? Id nimur de quo adiicit, *Justitia plena est dextera tua*. Plena, inquit , est dextera tua , id est opera tua. Plena, inquam, quia nihil vacuum aut apertum, quā corruptela, ambitus , intercessio , aut si quæ alia Iudicem emollire atque à recto flectere solita , subintrare valent. Quod si plenitudinis huius gratiâ, de seueritate nimiâ, duritie, crudelitate, querimoniæ fuerint; hæ, ut diximus , non tam reuera querimoniæ , quam propriæ bonorum Iudicium laudes erunt. Secundum nomen tuum Deus (eloim) sic & laus tua in fines terra.

VERVM TAMEN ut vnde digressi sumus , denuò reuertamur , non est etiam cur amplius immorer in reddendis rationibus , cur Moyses in principio suæ de orbe condito historiæ hanc sanctissimæ Trinitatis notitiam nobis inculcauerit , cum Deus ipse Optimus Maximus in eius creatione , nihil antiquius habuisse visus sit , quam ut quædam illius indicia & veluti crepuscula constitueret. Nam quonam obsecro , si non eò, spectabat illa disiunctissimorum alioqui diuersorumque maximè pluralitatis unitatisque coniunctio , atque multorum ad vnum reuocatio, quā res omnes à se creatas signasse Deus videtur ? aut quid tandem aliud insignia

ſignia iſta in ſe ſunt, quām ſigna quædam  
atque umbræ, huius diuini ineffabilisque  
myſterij? Hoc tot cæleſtium nempe orbium,  
ſub vno empyreo conculſio, tot diuerſorum  
motuum ad vniuſ primi mobilis raptum cir-  
cumuectio; hoc tanta errantiuſ, inhæren-  
tiūmque in cælo lumen ac ſtellarum, ab  
vno lucis fonte, ſole videlicet, colluſtrata  
varietas. Hoc in rebus quoque ſublunaribus,  
tot accidentia in vna ſubſtantia, tot poten-  
tiæ ab vna anima, tot operationes ab vna  
potentia, ac denique res omnes creatæ ab  
vno principio prodeuntes, atque in eundem  
finem ac terminum, qui Deus eſt, redeun-  
tes, denotant, ac deſignant: eo nimirum  
conſilio, hanc admirabilem, in condendis  
omnibus, rationem Deus iniuit, vt nobis  
liquidò appareret, quod, ſi creator omnium,  
in ſeipſum intuens, hoc ſigno inſignita, &  
veluti ſigillo pluralitatis ad vnitatem redu-  
ctæ eufa, atque imprefla, ea creauerit, in eo  
quoque in quod intuitus exemplar fuerat,  
dum hanc formam imprimere, miſticam  
aliquam pluralitatem in eſſe ad vnitatem re-  
ductam, necesse eſſet. Neque verò hoc qua-  
liſcunque pluralitatis ad vnitatem reductæ  
veſtigium nobis dediſſe ſatis habuit; verūm  
& alterum adhuc maniſtius addidit non  
qualiſcunque, inquam, pluralitatis, ſed ip-  
fius ſpeciatiō trinitatis ad vnitatem reuoca-  
tæ.

tæ. Nec obſcurum erit hoc animaduertere  
in conſpicuâ iſtâ vniuersitatis fabricâ, quæ  
cùm vna ſit, in tres p̄cipuè partes diſtri-  
buītur: vna ſiquidem omnino ſpiritualis eſt,  
vt Angeli; alia verò omnino corporea, cu-  
iūſimodi ſunt corpora omnia; tertia denique  
ex utroque mixta, vt homines: tūm ſpiritua-  
lis etiam pars vna cùm ſit, communi Theo-  
logorum, cum sancto Dionyſio Areopagi-  
tâ, ſententiâ, in tres hierarchias diſtingui-  
tut, & harum ſingulæ in ttes item choros,  
atque hi adhuc ſinguli, in tres ordines: ſu-  
ppremum, medium, atque infimum diui-  
duntur. Pats ſimiliter vniuersi corporea, cùm  
ſit vna, in tres ſecatur, cæleſtem ſcilicet,  
elementarem, & mixtam: atque in cæleſti  
triplex operatio conſtituitur; motus videli-  
cet, lucis, & influxus. Tria in quolibet ele-  
mento, materia, forma, & compositum in-  
ueniuntur: atque in quolibet tandem mixto,  
temperamentum, virtus, & operatio. Tria  
ſimiliter in animantibus reperimus anima-  
rum genera: vegetatiuum, ſenſitiuum, &  
rationale. Tres in anima vegetatiua opera-  
tiones: nutritionem, augmentationem, ge-  
nerationem. In ſenſituā, ſenſum, excan-  
deſcentiam, concupiſcentiam. In rationali tres  
potentias, intellectum, memoriam, & vo-  
luntatem. Omitto innumeratas penè alias  
triadum ſpecies, ad monadem quodammo-  
dò

46 *De Augustissimo mysterio*

dò aliquam in creatis reductas, quæ quidem omnes, et si vnius huiuscæ diuinæ triadis monadisque umbræ quædam, & subobscurræ similitudines ac figuræ sint, infinito tamen ab eâ iuteruallo disclusæ, nullam in se continent essentiæ vel realitatis, ut dicitur, unitatem, tribus diuersis inter se communem: sed reductionem tantummodo, aut ad unum aliquod principium, aut ad unum subiectum, aut ad unam in mente rationem, aut ad aliam denique similem unionis verius, quam unitatis, formam, adeo dissimilem atque alienam ab hoc diuino mysterio, ut ad cognitionem illius nihil conferat, nisi ut cum diuinitus inspirati illud agnouerimus, sic illustratam amplius mentem, in illius contemplationem ratiocinando promoueamus: atque adeo occultum admodum atque incognitum permansit hoc mysterium, donec unigenitus Dei Filius, carnem induitus, illud hominibus manifestum faceret, & Spiritus sanctus suis, ut cum Scriptura loquat, magnalibus comprobaret: iuxta illud Apostoli: *Quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu.*

CONCLVDO denique hoc argumentum, miro quodam, & non paruum etiam ad mox dicenda momentum allatufo, S. Ecclesiæ Matris piissimæ artificio, quo, in filiorum cum morte colluctantium agone, ad hoc

vtitur,

## Sanctissime Trinitatis.

47

vtitur, vt Deū trinum & vnū eis fautorē demereatur, & obstringat quodammodo, ne fideles suos in eo discrimine constitutos deserat; non aliā nimirum vllā officij aut meriti mentione obiectā, hoc vnum pro eis obtendit: subdidisse intellectus suos, & captiuos eos dedisse in obsequium ac fidem huius ineffabilis Sacramenti: inter Ecclesiasticas itaque precum formulas, quibus mortuentum animas Deo commendat, hæc leguntur: *Licet peccauerit, tamen Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum non negavit: sed credidit.* Negavit hæreticus, irrisit Gentilis, tanquam idolatriam abominatus est Iudæus; cum supra omnem tamen intelligentæ captum emineret, fidelis hic seruus, ei se, et si non intelligerer, subdidit, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum non negavit, quinimodo confitendo moritur, & viuā hac confessione tuum auxilium promeretur. Mirum & non minus profecto vtile in eo discrimine artificium.

ATQVE ex his quidem omnibus manifestè colligitur, quam ad amissim huic mysterio congruat primum istud ænigmatis insigne, de quo diximus. Quippe quod tam perplexum atque absconditum sit, ut neque homo, neque Angelus, neque creata omnino vlla mens, sed Deus solus qui id proposuit, eius solutionem retegere atque inuenire

re posse. Vnde & meritò dictum sit ab Apostolo, *Sacramentum, id est, ænigma, manifestè magnum.*

**S E C U N D A** quoque ænigmatis excellentia, nihilominus ei, quām priua, competit. Obscuritas enim difficultasque ista adeò magna, de quā diximus, ex nullâ in hoc mysterio vel confusione, vel inconcinnitate, vel partium inæqualitate oritur. Cūm in distinctione personarum & natutæ unitate illius ratio vniuersa consistat. Constat verò, neque in distinctione confusione, neque in unitate inconcinnitatem, aut partium inæqualitatem inueniri posse. In hac itaque tam admirabili triadis in personis, cum monade in essentiâ coniunctione, secunda, & ea quidem præcipua huius ænigmatis & sacramenti manifestè magni præstantia, admirabilitasque consistit.

**E N I M V E R ò** quis sermo, aut quæ lingua, siue hominum, siue Angelorum, huius excellentiæ magnitudinem, fando poterit exæquare? Modumque incomprehensem quo Pater Filium generat, quo Pater item & Filius Spiritum sanctum spirant, pro dignitate explicare? Quomodo tres personæ distinctæ cūm sint, unus nihilominus Deus sint, vnamque & eandem simplicissimam essentiam habeant? Mihi, inquit Ambros. libr. i. de fide cap. 5. impossibile est generationis scire

scire secretum, mens deficit, vox filer, non mea tantum, sed Angelorum: supra potestates, supra Angelos, supra Cherubim, supra Seraphim, supra omnem sensum est. Quid ergo capiendum est consilij? Una certè tantummodo, atque ea huiusmodi, mihi ratio occurrit: nimurum, vt ex Pauli Apostoli verbis, quæ, mirandâ illâ extasi in cælum empyreum translatus, audiuit; nonnulla (non quidem omnia, inter illa siquidem, vt testatur ipse, audiuit arcana verba quæ non licet homini loqui) nonnulla saltem, inquam, ex iis verbis colligere, ea videlicet, quæ in cap. tertium ad Ephes. vbi de immensâ huius mysterij magnitudine differit, collapsa sunt. Nimurum elegantissimâ iuxta atque ardentissimâ prece ab æterno Patre enixe flagitans, vt affluentia nobis fidei, charitatisque flagratiæ ad cognoscendam hanc magnitudinem largiatur. *Huius (inquit) rei gratiâ, flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis Paternitas in cælis, & in terra nominatur: vt det vobis secundum dinitias gloria sua &c.* Ac tandem his concludit: *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum: Dei videlicet: vt sancti, quos infra citabimus, Patres interpretantur.*

**I N** quatuor his ergo dimensionibus, vel mensuris prorsus immensis, modum inuesti-

D gandi

gandi magnitudinem diuini istius mysterij indicauit Apostolus : & quoniam Patres diversi, ad diuersa eas accommodent : de Deo certe intelligit magnus Dionys. c. 9. de diu. nomin. cui quidem ut S. Pauli discipulo, quique ex eo ipso , ut credibile est, hotum verborum interpretationem acceperit, fides integra merito adhibenda est. Idem quoque post Dionys. intellexerunt Chrysosthomil. 7. in cap. 3. ad Ephes. Ambros. 10. 5. ad fin. & in cap. 3. ad Ephes. S. Bernard. lib. 5. de considerat. ad Eugen. S. Thomas lectione 5. in cap. 3. ad Eph. & cōplures alij. Ac generatim quidem loquendo, quatuor hisce dimensionibus , magnitudo huius mysterij vndequaque perfectissima , omniq̄ue ex parte absolutissima indicari videtur,

S P E C I A T I M verò , per immensam eius longitudinem S. Bernardus loco citato diuinam æternitatem intelligit : quæ cùm principij expers, ac finis sit ; infinita dicitur longitudo. Quid igitur Deus ? (inquit Bernardus) longitudo. Quid ipsa ? æternitas. Hæc tam longa ut non habeat terminum, &c. Verumtamen licebit mihi , cum bonâ glorijsi istius sancti veniâ , & præsentis, quam celebramus , festæ solemnitatis prærogatiâ , aliquantò amplius diuinam hanc longitudinem, tam essentialem, ut sic dicam, quam personalem , extendere. Et si etenim verum sit , durationis suæ principio carere

æter-

æternitatem , at non tamen naturæ , sive es- sentiæ. Nam si angelum ab æterno Deus creasset , ille quidem suæ durationis princi- piū non haberet; haberet tamen suūp̄ius: deique nihilominus creatura esset. Verbum quoque diuinum, & Spiritus sanctus , æter- ni sunt , at sui tamen principium , Verbum quidem , habet Patrem ; Spiritus vero sanctus , Patrem & Verbum. Quinetiam ut de naturâ ipsâ diuinâ , iuxta notionem mentis nostræ , & intelligentiæ modum, loquamur, aliud quiddam prius illâ in Deo reperiemus; in quo illa fundetur : diuinam scilicet im- mutabilitatem.

C V R enim æternum Deum intelligi- mus ? nōnne ideo quia mutari non potest; neque iam tandem esse, cùm aliquando ante non fuerit? vnde p̄æclarè in eō de diu. nom. cap. 9. Dionys. Id verò (inquit) quod æter- num est, quod mutari non potest, quod in se manet, quod semper eodem modo se habet. Quam quidem æternitatis in Deo causam ex Psalte regio accepit Dionysius Ps. 101. Tu autem (inquit) idem ipse es. & confessim ex eo infert: Et animi tui non deficiunt. Diuina igi- tur longitudo, immutabilitas eius censenda erit ? Haudquaquam: adhuc etenim aliud quidpiam intelligentiam nostram prius oc- cupat, in quo immutabilitas etiam ista fun- detur. Quidnam, inquires, id tandem est: Dei,

D 2 in

inquit, necessitas. Nos siquidem, ut durationis idcirco principium habuimus, quia mutabiles sumus, & esse cœpimus, cum ante non fuerimus, ita & fuisse omnino contigit; in conditoris siquidem arbitrio positum erat, esse mūsne an non essemus. In Deo autem non sic se habet, cum enim ab alio naturam non accipiat, in cuius potestate liberā sit, illam concedere vel negare, fieri non potest, ut Deus non sit, atque adeò necessariò prorsus est; ideoque à primo ad postremū, æternus est, quia cum mutari non possit, necessariò est. Quid igitur? an hæc necessitas longitude Dei est? Minimè verò. Sed & hac etiam priorem aliquam ipsius causam invenire est. Ideo enim necessariò est, quia quod sit, per alterius participationem non est, sed ideo quia à seipso est. Siquidem si per naturæ ab alio participationem esset, in illius utique alterius potestate esset, ei permettere ut esset, vel quod minus esset prohibere. Vnde & cum sui mutatione esse inciperet, cum sic esset, ut in priori saltem aliquâ sui notione, potuerit non fuisse. Vnde neque absolute æternus esset. Deus igitur cum à seipso sit, & non per aliquam ab altero participationem; necessariò est, immutabilis est, æternus simpliciter & absolute est. Maxima itaque Dei extensio, ab eo quod essentialiter, ut sic dicam, atque à seipso sit, æstimanda

æstimanda erit? atque adeò longitude hæc diuina erit: omnino: siquidem radix hæc prima est, atque ultima ratio, quam in Deo mens nostra discernere valeat. Et quam iuxta communem Sanctorum Patrum expositionem celeberrimum eius nomen tetragramanton, Qui secundum suam naturam videlicet & à seipso est, significet. Quemadmodum enim ratio ultima, quam in re creatâ animaduertit intellectus, est, quod creata quædam res sit, ac propterea ita sit, ut potuerit nihilominus non fuisse; idcirco etiam mutata est, quia cum sit, iam amplius non est indifferens ut sit, vel non sit; sed cum prius non esset, nunc demum est: ac denique terminata etiam ac finita est, quia non omnem, sed aliquam à suo conditore naturam accepit, atque ita cum sui determinatione quædam: simili prorsus modo, extrema ratio, quam in Deo creata mens dispicit, ista est, quod à seipso, non aliunde participatâ naturâ, sit. Ex eo deinde quod à seipso hoc modo sit, conficitur etiam, ut necessaria, immutabili, atque æternâ, ut iam vidi mus, naturâ sit: ac infinitâ insuper, cum in seipso, tum in excellentiis omnibus illi attributis. Quippe cum ea haudquaquam aliunde accepta sit, nihil erit quod ei modum statuere, aut præfigere limitem possit. Sed neque ipsamet sibi, cum nec à seipso hoc quod est esse, ac-

D 3 cipiat,

cipiat, sed à seipsâ habeat, hoc est, ut sæpius diximus, à seipsâ sit. Vnde & infinitè perfectus, sapiens, omnipotens, immensus, ac denique unicus etiam Deus est. Infinita siquidem eius virtus ac præstantia, plures Deos non admittit, cùm in se solo collecta teneat, quæcunque in multos diuidenda forent, nihil extra se excellētiæ relinquens, quod Deo alteri conuenire possit; atque ita unus solus que necessariò Deus est; una diuina essentia, in quā unitas, quam in hac triade explicare aggredimur, constituta est. Amplius vero, quemadmodum Deus secundum essentiam ac naturam à seipso est, ita prima Sanctissimæ Trinitatis persona diuina, Pater æternus scilicet, à seipso est; quia neque ab aliâ diuinâ personâ, suam accipere potuit, cum vtraque alia, ab illâ sit: neque à diuinâ essentiâ aut naturâ, quia ab eâ distincta non est. alias siquidem ei deesset hoc, quod est à se habere hanc personæ excellentiam. Quod infinitati eius aduersatur, nec non summæ etiam simplicitati cùm illius, tūm primæ etiam personæ diuinae.

A d extreum, ex his concluditur, primam sanctissimæ Trinitatis personam eam esse, à quâ diuina longitudo, tam essentialis, quam personalis, aestimanda sit: cùm tam quoad essentiam, quam quoad personam, à seipsâ sit; & non plus ultra diuina longitudi-

do extendi possit. Ex hac itaque longitudine, iam habemus, tam unitatem diuinæ essentiæ, quam primam sanctissimæ Trinitatis personam. Alias duas, ex diuinâ item latitudine, non minùs admirandâ, inuestigare atque inuenire conabimur. Dei latitudinem c. illo 9. de Diu. nominibus commemoravit S. Dionys. eamque innuit immensitatem illius esse. Verumtamen de latitudine essentiæ magis, quam personæ, de quâ modo nos inquirimus, eo loco tractauit. Hanc ergo petemus à magno illo Patriarcha Alexandrino Cyrillo li. i. contra Julian. admirabilibus hisce verbis expressam. Unica deitatis natura, quæ super omnes, & per omnia, & in omnibus est, dilatatur mentaliter in sanctam Trinitatem, venerandamque ac consubstantialem, in Patrem, inquam, & Filium, & Spiritum sanctum. quin & veluti, in tam aptè dicto, ac tam altâ Theologiâ sibi meti p̄ placens, idem inferiùs paulò repetit. Unus (inquit) est universorum Deus, dilatatur autem, quantum de illo scitur, in sanctam & consubstantialem Trinitatem, in Patrem, inquam, & Filiū, & Spiritum sanctum. Cùm enim diuina essentia seu natura, ob suam infinitatem, tribus personis communis sit; unum quiddam ex seipsâ cum Patre est. atque ab eo dilatatur ad Filium, & ei se per æterni Patris intellectum communicat: & ad san-

56 *De Augustissimo mysterio*

Etum quoque Spiritum per diuinam Patris & Filij voluntatem ,dimanat.

T A N T A porrò est hæc latitudo , vt nisi diuina essentia infinita esset , illi nullatenus conuenire posset : quin & cùm diuinæ etiam personæ infinitæ sint, maior latitudo esse nō poterit. Natura tam humana,quàm angelica, eò quòd finita ac terminata sit , in vnam tantummodò personam contrahitur, diuina tamen, quia infinitè perfecta ac præstans est, tres personas complectitur , & vnum idemque cum illis est. Illius enim infinitæ præstatiæ , nihil penitus deesse potest ; at deesset profecto , si non ad tres illas sē personas extenderet: aut enim sui communicatio secundæ personæ per intellectum , aut tertiaræ per voluntatem , aut certè utraque illi deesset. Vnde nec esset plena atque perfecta eius infinitas, vt reuera est. Vnde etiam S.Paul.in eo c.3. ad Ephes. paulò post verba , ex eo à nobis iam suprarelata , diuinarum Trinitatem personarum, omnem Dei plenitudinē nūcupauit: *Vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Quemadmodum his verbis interpretatus est Theophylactus : *Vt sciatis, quòd in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, adoretur nobis Deus,* hæc enim plenitudo est ipse ternarius.

A M P L I V S dixi , quòd hæc latitudo amplior esse non posset , eò quòd diuinæ ipsæ personæ infinitæ sint; atque ita profecto est

*Sanctissime Trinitatis.*

57

est. Duo enim tantummodò in naturâ intellectuali modi sunt , quibus seipsum dilatare possit, aut per intellectum , suam notionem; aut per voluntatem , suum amorem preferendo. Vt itaque diuina hæc latitudo amplior adhuc esset , necesse foret , vel Patrem æternum plura per intellectum verba producere, pluresque filios generare ; vel Patrem & Filium , plures per voluntatem Spiritus sanctos spirare : quod manifestè repugnat infinitæ Filij & Spiritus sancti præstantiæ , qui infinitè perfecti cùm sint , nihil omnino alteri Filio aut Spiritui sancto occupandum relinquent: quin eam omnem , quæ in plures filios excellentia disperienda foret, vnuus hie in se continet ac concludit. Vnde & vnigenitus in Scripturis vocatur.Ioan.i. Vnigenitus qui est in sinu Patris, &c. & Spiritus sanctus omnem similiter in se complectitur quæ in plures Spiritus sanctos distribuenda foret. Vnde & Sapientiæ 7. Vnicus etiam ipse dicitur : *Spiritus sanctus unus &c.* Secunda igitur persona , ratione suæ infinitatis , omnem possibilem ab intellectu diuino communicationem adæquat ac replet ; tercia verò , omnem similiter possibilem à diuinâ voluntate: atque ideò,nec potest esse maior aut amplior hæc diuina latitudo , ob diuinarum infinitatem personarum , neque minor etiam aut angustior , ob infinitatem diuinæ essentiæ

D s ac

ac naturæ. O infinitam & supra omnem mentis complexam latitudinem! quis immensum adeò istud pelagus scrutari non formidaret? quis naufragij securus tranare consideret? nisi tu sancta Trinitas viuis Deus, vt nos eo periculo vendicares, impressa tui vestigia in nostris quoque animis reliquisses, & viuam similitudinem atque imaginem diuinæ iustius latitudinis expressisses: quā vadare quodammodo hoc profundum possemus, & ad aliquem eius fundum cognitione pertingere.

**V E R M T A M E N** ne deerrare in hac ratiocinatione, atque à vero excidere nos contingat, diligentî curâ cogitatione que est cauendum, & quæ huic diuinæ latitudinis imagini (hoc est animæ nostræ cum suis potentiis & actibus intellectus & voluntatis) attributa sunt, in duplici differentiâ, constituenda. Nam eatenus quidem aliqua ei conueniunt, quatenus sanctissimæ Trinitatis imago est; atque hæc ad præstantiam & perfectionem illius attinent: alia verò haud quaquam prout imago est, illi congruunt; sed prout infinito, ab eo quod repræsentat, interuallo distat ac deficit, atq; vt res creata māca & imperfecta angustisq; limitibus interclusa, ab infinitâ conditoris sui excellentiâ ac virtute degenerat: hæc autem ex defectu illius proprio, & imperfectione oriuntur.

tur. Ac priora quidem illa ac perfecta, cùm in hac sanctissimæ Triadis imagine reperiantur, in diuino etiam ipso illius mysterio reperiri debent: quippe cui illa similis speciatim quoad ista est: & propter quæ, imago eius est. Posteriora verò hæc atque imperfecta, non item: neque enim mysterium illud perfectissimum, quoad hæc repræsentat; vel eatenus imago illius est: sed res quædam creata imperfecti plena, & immensum quantum ab eo deficiens.

**E X E M P L O** eius quod manifestius apud nos geritur, hoc liquidiūs apparebit. Pictorem quis accersit; suāmque in telâ aut laminationē effigiē exprimere iubet. Duo in hac imagine ac picturâ rerum illi attributarum genera considerare est. Quædam siquidem illi conueniunt ut imago illius ad cuius similitudinem efficta est; ac in quibus suum prototypum imitatur, ac refert; hæc autem si in imagine sunt, in eo etiam, cuius illa imago dicitur, reperiri debent: ratione siquidem illorum, similitudo atque imago ipsius est exempli gratiâ, si in picturâ sit frons lata, supercilia in arcum lunata, oculi eminentes, ac nigri, os parvum ac contractum, labra corallina, dentes candidi; atque vniuersi denique vultus ingenua compositio, habitusque tranquillus: eadem omnia istis paria in prototypo lineamenta respondere debent. Alia verò

verò adhuc sunt in hac imagine , non quidē  
vt imago est, sūmque, ad cuius formam effi-  
cta est , exemplar iinitatur : sed prout ab eius  
similitudine perfectā deficit, atque infra eam  
subsistit, ratione videlicet subiectæ ad picturam ,  
artificiūmque materiæ ; atque ea qui-  
dem in exemplo , ad quod imago illa efficta  
est , requiri non debent , imò nec reperiri;  
siquidem ponimus quo ad hæc non assimila-  
ri , nec ratione horum , illius effigiem ima-  
ginemue censeri : atque adeò si in laminâ  
aliquâ depicta sit , vltabellâ , si magnitudi-  
ne vnius palmi , si vitæ , sensus , ac sermonis  
expers , &c. minimè dubium est , quin et si in  
imagine ista sint , cùm nihil aliud quām à  
perfecta sui prototypi similitudine defectus  
quidam sint; in ipso prototypo inueniri haud  
quadam debeant: simili ergo ratione , in hac  
vnius trinique Dei imagine , animâ scilicet  
nostrâ , quæcunque hanc sanctissimæ Trini-  
tatis imaginem in similitudinis ratione con-  
stituunt , ea omnia sanctissimæ etiam Trini-  
tati attribuenda sunt. Defectus verò non ite;  
quos à se sibiique proprios imago habet , at-  
que in quibus à suo , quod refert, exemplari  
degenerat. Quoniam itaque reperitur in  
animâ nostrâ vnum substantiale , quod vo-  
cant , principium , ipsa nimirum substantia  
animæ , atque hoc intelligens ac fœcundum ,  
potens in seipso producere , tum per intelle-  
ctum

ctum notionem quandam , quæ sit viua quæ-  
dam repræsentatio & imago ipsius animæ ,  
tum per voluntatem etiam amorem quen-  
dam , per quem anima in seipſâ conquiescat;  
hanc virtutem atque præstantiam in Deo  
quoque debemus asserere; et si in fastigio in-  
finitè sublimiori ac perfectiori. Ita nimirum  
vt sit principium substantiale intelligens ,  
hoc est , Pater æternus , potens per intelle-  
ctum viuam sui imaginem , quæque illum vt  
in se est , repræsentet , hoc est , Filium gignere;  
potens insuper vna cum Filiō , ardètissimum  
sui amorem , Spiritum videlicet sanctum , per  
voluntatem producere ac spirare. Et quem-  
admodum imago illa , nostra scilicet anima ,  
duplicem tantummodò sese dilatandi pote-  
statem obtinet , intellectum quo sui imagi-  
nem , & voluntatem quâ sui amorem pro-  
ducat : similiter & hæc duæ tantummodò ra-  
tiones dilatandi sese , atque intra semetipsum  
extendendi , in Deo reperiuntur. Vna per  
intellectum , quâ Pater æternus secundæ  
personæ , hoc est Filiō , viuæque sui imagini  
se se impertit ; per voluntatem altera , quâ  
ad tertiam personam , hoc est Spiritum san-  
ctum extenditur , atque id quidem causæ est ,  
cur in Deo , vt supradiximus , plures quām  
tres personæ esse non possint. Vna haud  
producta , scilicet Pater : & duæ productæ ,  
hoc est Filius , & Spiritus sanctus. Similiter  
quem

quemadmodum in animâ nostrâ , sui notio quam producit , & amor, quo se diligit , ab ipsamet animâ distinguuntur , eò quòd res quædam productæ ab ea sint , et si extra ipsam non exeat ; similiter , inquam , duæ illæ personæ diuinæ , Filius & Spiritus sanctus , à Patre æterno distinctæ sunt , quia ab eo procedunt : & Spiritus non minùs à Filio quâm à Patre , quia ab eo non minùs etiam quâm à Patre procedit . Neque verò personarum ista inter se distinctio quicquam obstat , quòd minùs secunda , ac tertia persona extra Deum non sint ; sed in eo etiam nūm maneant . Quemadmodum rectè nos admonuit S. Ioan. Euang. de verbo diuino ita loquens . *Et Verbum erat apud Deum , & Deus erat Verbum.* Vnde & paulò adhuc inferiùs , *in sinu Patris esse , &c. 10. in Patre esse* afferit . Veruntamen prætermisso hoc loco aliis similitudinibus , quas inter hanc imaginem ac suum prototypum facile esset deprehendere , transeamus aliquantis per ad eorumdem ex aduerso positas dissimilitudines expendas . Ex his siquidem , singulares , admirandæ illius & infinitæ , quæ in Deo est , latitudinis excellentæ , clarissimæ elucescent . Ac prima quidem ex iis esto , quod cùm anima nostra , finitæ virtutis , ac potentiarum sit , suammet substantiam , ac vitam , sui in mente notioni conceptæ , vel amori in voluntate accenso

accenso , impetrari non potest : atque adeò naturam tantummodo imperfectam , non substantialem , vt dicitur , sed accidentalem eis largitur . Enim uero quoad hunc virtutis defectum anima nostra , Dei imago non est : Patrē enim æternum , infinitè perfectus cùm sit , suo quidem mentis verbo , id est Filio , atque amori , id est Spiritui sancto , suammet substantiam ac vitam concedere , nihil impediat . Quemadmodum ipsum etiam verbum diuinum Ioh. cap. 5. sic testatur : *Sicut Pater , inquit , habet vitam in semetipso , sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Quæ sanè vita , eadem ipsa natura , essentia , & substantia diuina est . Atque ex hinc diuinarum inter se personarum exurgit paritas : nam quælibet , diuinam essentiam cum vniuersarum illius excellentiarum plenitudine , in se habet .

S E C V N D A verò dissimilitudo sit , quæ ex eâdem similiter causâ oritur : quod scilicet anima nostra , vt vim non habet suam substantiam aut naturam , suæ intelligentiæ aut amori tribuendi ; ita neque vim etiam habeat vt subsistentiam & personalitatem , vt sic dicam , iis conferat . Pater autem æternus non solum diuinam Filio ac Spiritui sancto naturam , sed personalitatem insuper illis dandi potestatē obtineat . Vnde & Ecclesiast . 24.2. Sanctissimæ Trinitatis persona vngnimitusque altissimi per Spiritum sanctum ita loquitur

loquitur: *Ego ex ore Altissimi prodii. Ego, inquit, ut subsistentē se personā esse significet; prodii, ut distinctam à Patre personam esse inidicet: Ex ore Altissimi.* Ut sciamus Verbum intelligentiae altissimi esse. Quemadmodum enim verba ista extrinsecus prolatā, ex loquentis ore prodeunt; ita interiora etiam mentis, quam os Altissimi appellat hoc loco sapiens, ab ipsāmet eius mente egrediuntur.

*S*e d dubitabit, neque abs re fortasse, quispiam quomodò per os Dei, mens illius diuina possit intelligi? Quandoquidem Vates regius, Spiritum sanctum ex ore Domini egressum afferat. Ex quo certè videtur confici, mentem diuinam, os Dei non posse congruè nuncupari. Nam Spiritus sanctus non per mentem vel intellectum, sed per voluntatem producitur. *Verbo* (inquit) *Domini cali firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Quo loco Spiritus sanctus manifestè Spiritus oris Domini appellatur. Respondeo tamen, hanc translationem siue metaphoram, quā primū usus est David Propheta, & post illū Ecclesiasticus; à similitudine oris nostri, diuersisque illius munib⁹, acceptam esse. Duo siquidem oris nostri sunt munera: unum quidem est verba preferendi; quemadmodum verba quæ nūc loquor, ore profero; alterum verò spirandi, vel spiritum atque anhelitum emittendi:

par

pari itaque ratione dicendum est, os Dei in facris literis, vim illius productuam, quam notionalem vocant Theologi, designare: quæ duo item munera sibi vendicat: unum scilicet producendi verbum, quo vniuersa, quæ in se atque extra se sunt, dicit ac loquitur: atque istud quidem mens diuina est, quā Verbum, hoc est secunda Sanctissimæ Trinitatis persona producitur. Alterū verò est, quo Pater & Filius, diuinum suum Spiritum emittunt, ac spirant: & secundūm hoc, diuina voluntas dicitur. In eo igitur Ecclesiast. 24. diuina ipsa sapiētia de ore Altissimi loquitur iuxta priam acceptionem, comparatione ad primum scilicet oris munus: atque adeò rectè dicit ex ore Altissimi prodīsse, hoc est, ex mente Patris æterni: nec minùs etiam rectè David Propheta, comparatione ad alterum ipsius oris munus, de diuinā voluntate Patri & Filio communī loquitur. Atque idcirco aptè admōdum illius meminit, post expressę habitam Patris, & Filij in præcedentibus mentionē: *Verbo Domini cali firmati sunt, &c.*

**T**E R T I A porrò dissimilitudo, atque animæ nostræ defectus sit; quod quemadmodum suæ notioni arque imagini suam naturalim communicare non potest; ita neque representationem Filij naturalem, sed rationem dumtaxat imaginis intellectualis, &

E Verbi

Verbi sui. Verumtamen quoad hoc etiam Dei similitudo atque imago non est. Nam Pater æternus, propter infinitam suam præstantiam, notioni suæ mentis, hoc est secundæ personæ, non Verbi tantummodo, simplicemue imaginis intellectualis ratione tribuit; verumetiam, cum suâmet naturâ atque essentiâ, rationem Filij atque imaginis naturalis. Vnde in eo Ecclesiast. loco citato, diuina Sapientia genita, cum dixisset, *Ego ex ore Altissimi prodidi*, confessim addidit, se esse primogenitam: & S. item Ioan. c. 1. sui Euangelij de eâ locutus: *Vnigenitus*, inquit, *Filius, qui est in sinu Patris.* Vbi sinum Patris appellat Euangelista, quem Psalmista vterum appellauerat. Ut in eum Psal. 109. locum animaduerrit S. August. ad hanc diuinam generationem significandam: *Ex utero ante luciferum genui te.* Quibus certè Patris æterni de vnigenito Filio suo verbis propheticis, aliud quoddam sublime mysterium, & occulta quædam diuinæ generationis excellētia aperitur. In cæteris quippe generationibus, eorum principium in Patrem ac Matrem diuiditur, & Matris quidem est, vterum gerere, concipere, parere: Patris autem, præcipue generare siue gignere. At in Deo propter immensam eius perfectionem atque potentiam, aliter omnino se res habet: nam Pater æternus, vtroque Patris matrisque circa Fi-

lium

lium officio fungitur: vnde & vtriusque partes diuina Scriptura illi adscribit: idemque ipse Pater æternus in iis Psalmistæ verbis, vtrumque sibi vendicat: *Ex utero ante luciferum genui te.* Gignere etenim Patris est, per vterum verò, matris etiam vices significantur. Et cap. 8. Proverb. idem Filius & infinita Patris sapientia amplius hoc declarat. In iis enim verbis: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, à Patre genitum se esse significat, hæc enim vis est verbi: illius possedit: vt ex cap. Genesis 4. constat: *Possedi hominem per Deum.* Vbi idem verbum significat gignere: in sequentibus verò: *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram; ante omnes colles ego parturiebar;* Matris, cuius est concipere & parturire, munus indicauit.

A d hanc tam singularem excellentiam generationis diuinæ alluserunt olim nonnulli, qui dubiæ cuiusdam lucis crepuscula de hoc mysterio acceperant, ab insignibus illis Patriarchis deiq; amicis, qui in Aegypto habitarunt: & à sacris, quas ij docuerant, literis. Ut ex illis inter cætera Trismegisti Mercurij verbis aperte constat: Intelligentia illa Deus, cum maris & fœminæ vii haheret, genuit verbum &c. Eodem etiam allusit Orpheus, quando dixit: Exitij expers Matri-Pater, conflato scilicet ex duobus verbo vnico, Patrem ac Matrem Deum appellans:

*Trismegistus  
apud Eugub.  
lib. 3, de pe-  
renni Philos  
ophia c. 28)*

vt refert Clem. Alexand. 5. Stromat. c. 7. atque alij, qui ex eo acceperunt.

**Q**VARTA præterea dissimilitudo est, quod anima nostra, ratione suæ imperfectio-  
nis vim non habeat, notionem aliquam pro-  
ducendi, quâ omne id quod intelligi ab eâ  
potest, simul intelligat: neque unum aliquem  
amorem, quo vniuersa quæ potest, quan-  
tumque potest, vñā diligat. Atque ideo vñā  
quidem seipsum, pluribus verò aliis notioni-  
bus, cætera intelligit: vñōque amoris affectu  
seipsum, aliis verò alia à se distincta, diligit.  
Atque ita multiplici cogitationum, atque  
affectuum vicissitudine, nunc unum, nunc  
alium eorum actum eliciendo, nunc ab uno  
desistendo, ut alteri. insistat: succedentibus  
inuicem cognitionibus studiisque variatur.  
Quod in ser. 3 aduersus Arrianos suis egre-  
giè coloribus expressit S. Athanasius. *Hominibus*  
(inquit) multa & frequentia quotidie verba ena-  
scuntur, & pretereunt, eo quod priora non maneat,  
sed evanescent. Quod ideo contingit, quia mortales  
istorum verborū Patres, lubricas, & pratermeabiles  
habent etates. Cogitationes autem tales sunt, qualia  
illa quo loquuntur: unde fit, ut multa verba habeant,  
& post multa verba, nihil eorum incolume possi-  
deant: si enim, ut defut quis loqui, consumptum est  
verbum, &c. Verum cum in hoc suo defectu a-  
nima nostra à Dei similitudine, imitationeq;  
deficiat: nihil istorum in eo expectare debe-  
mus.

mus. Sed Pater æternus, ob infinitæ perfe-  
ctionis suæ rationem absolutam, vnicam  
dumtaxat mentis notionem elicuit; atque  
etiamnum elicit, verbum vnicum, vnamque  
imaginem, quæ dicat, ac referat quantum in  
Deo, vel extra ipsum, dici ac referri omnino  
potest. Et similiter unum amorem, quo id  
omne, quod vspiam amabile est, diligit. At-  
que ita, neque cognitiones multiplicat; ne-  
que verba aut amores variat, ut eodem loco  
egregiè declarauit Magnus Athanasius. Con-  
tra verò (inquit) Dei verbum unum est; at-  
que idem, & in æternum permanet, sine mu-  
tatione; non primum, aut secundum, sed  
semper idem existens. Conueniebat siquidem,  
vnius Dei vnicam esse imaginem, at-  
que unicum verbum, &c. Et quamuis hæc  
dicta sufficiant, præterire tamen nequeo,  
quod hac de re acutissime indicauit Augu-  
stinus in Psal. 44. Dicere (inquit) Dei, sine ini-  
tio est, & sine fine, & tamen unum verbum dicit;  
dicat alterum, si quod dicit transferit; cum vero &  
à quo dicitur manet, & quod dicitur manet; & semel  
dicitur, & non finitur, & ipsum semel sine initio  
dicitur; nec bis dicitur, quia non transit quod semel  
dicitur, &c.

**Q**VINTA dissimilitudo adhuc est,  
quod anima nostra suam intelligentiam aut  
amorem sibi coœcum haudquamq; habeat,  
intelligere siquidem, & amare non incipit;

## 70 De Augustissimo mysterio

nisi post annos aliquot , ex quo viuere iam inceperit. Aliter verò se res habet in Deo: Verbum enim quod Pater gignit , & amor quem Pater & Filius spirant , coæua prorsùs sunt, ac suo principio coæterna : vt ipso statim initio capit is primi sui Euangelij animaduertit S. Euangelista Ioann. *In principio* (inquit) erat Verbum &c. & ante Euangelistam Salomon Prou. 8. verbis suprà explicatis: *Nondum erant abyssi , & ego iam concepta eram , ante omnes colles ego parouriebar : & utroque prior Psalmista Dauid Psal. 109. Ante luciferum genui te.* Qui loquendi modus, æternitatis ipsius Filij & Sapientiæ genitæ veluti descriptio quædam est. Nam, vt notauit in hunc locum Aug. Deus in signa temporis stellas constituit, Genes. i. Atque adeò temporaneæ durationis symbolum sunt. Cùm igitur Psaltes dicat Filium Dei ante luciferum genitum, idem omnino est ac si diceret, ante omnem temporaneam durationem genitum fuisse, ac proinde æternum esse. Eadem illorum etiam est verborum sententia Psal. 71. *Ante solem permanet nomen eius.* Quod in autographo legitur: *Ante solem filiabitur nomen eius.* Siue, vt alij legunt: *Filius seu genitus est nomen eius.* Quem Psalmista locum variè illustrarunt ex recentioribus complures aduersus Iudaicam perfidiam disputantes. Verum quia dicendi finis non esset si cæteras omnes

## Sanctissima Trinitatis.

71

omnes inter imaginem istam, animam vide-  
licet nostram , atque illius prototypum &  
exemplar, hoc est, Deum trinum & unum,  
dissimilitudines persequi insisteremus : &  
quia ex dictis reliqua haud difficile colligi  
possunt, clariusque ex iis ostendi, mira atque  
immensa diuinæ istius latitudinis absolutio,  
atque præstantia, ad altitudinis eius inspe-  
ctionem transeamus ; atque id quidem vel-  
uti per transennam , propter angustias tem-  
poris in quas latitudo iam explicata nos  
redegit.

A L T I T U D O igitur supremi istius my-  
sterij quæ à S. Paulo sublimitas dicitur , ipsa  
illius præstantia est , & infinitus excessus  
quo supra omne, quod Deus non est, extollit-  
ur, & supra quamcunque etiam, quæ in Deo  
est, excellentiam supereminet. Vnde & S.  
Bern.li.5. de Consideratione ad Eugen. altitu-  
dinem eius in eo consistere ait quod sit super  
omnia. Et latius Theologiæ nostræ Schola-  
sticæ Princeps S. Thomas lectione quinta  
super hunc locum S. Pauli : & Magnus Ale-  
xandriæ Patriarcha Cyrillus in egregiis, quæ  
iam suprà adduximus, verbis ex libro primo  
dialogi de Trinitate: qui hanc ob causam my-  
sterium istud diuinæ eminentiæ quæ in sum-  
mis est fastigiis appellauit.

P R I M U M ergo altitudo , ac celsitas diuini  
istius mysterij in eo consistit, quod diuinarū

E 4 omnium

omnium virtutum , atque excellentiarum, veluti summa quædam sit: vt egregiè animaduertit Ambros. in cap. 1. ep. 2. ad Corinth. vbi paucis quidem verbis amplissimam de ea sententiam protulit & supremum quod dici poterat attigit. *Omnis ( inquit ) perfectionis summa in Trinitate consistit.* Atque huius quidem sententiæ ratio est manifesta: in eâ etenim continetur essentia diuina quæ ut ait Nazianz. oratione 3. 8. est pelagus quoddam immensum & interminatum perfectionum, & cum ipsâ essentiâ continetur etiam uniuscæs attributarum illi perfectionū cumulus: non semel tâturnmodo, sed, vt ita dicam, tergeminus: rotâ siquidem essentia diuina cù iis omnibus continetur in Patre, tota cum iis omnibus in Filio, & ea denique omnia cum illâ tota in Spiritu sancto. Amplius nostro modo intelligendi inter hanc ipsam , cum cæteris quæ in Deo sunt excellentiis, ac perfectionibus factâ qualicunque comparatione : cæterarum in rebus etiam creatis participations , & veluti quasdam similitudines inueniemus, quarû iudicio naturalis intelligentiæ ductu, in nonnullam eârum notitiam, ( si ambiguam atque obscuram, at certè verâ nihilominus) inducamur. Sed & ratione ab iis aliquâ cum creatis communem abstrahere possumus. Ut est ratio essentiæ , substantiæ , spiritus, vitæ, sapientiæ, amoris , potentiæ & simi

similium: quæ certè ratio et si una penitus nō sit, aliquatenustamen & proportione quâdam, una est. Vt colligitur ex c. 13. Sapientiæ *A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Vbi quod nos cognoscibiliter legimus, Septuaginta interpretum versio habet per proportionem , vel, vt alij transferunt, per analogiâ eo quod analogia quædam & proportio sit creatarū perfectionum ad diuinæ quas participant, quantumlibet ea quidē perexigua, & imperfecta valde sit, imò de ipsâ quoque diuinitate id speciatim asserit S. Paulus, c. 1. ep. ad Rom. *Invisibilia ( inquiens ) ipsius, à creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt intellecta cōspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* At enim diuinū hoc sanctissimæ Trinitatis mysteriū adeò supra naturæ ordinem eleuatum est, atque hæc tam admiranda triadis in personis, cum monade in essentiâ conspiratio , atque coniunctio tam supereminens ac sublimis; vt nec sit, nec esse possit vlla eius in rebus creatis participatio , aut vlla communis ratio , seu vestigium aliquod illius indagationem adiuuans: quinimò si conjectura ex creatis capienda esset; naturalis certè mentis acies perspicacissima id est angelica, atque acerrium integrumque iudicium ( vt communis ac verior Theologorum fert sententia ) impossibilem hujusmodi tam diuerso-

rum, atque ut videtur disparatorum coniunctionem, sibi persuaderet. Et cum res creatae a Deo conditore non quam trinus, sed quam potius unus est, processerint; ad earum solummodo perfectionum notitiam suam similitudine nos inducerent, quae Deo in quantum unus est, conueniunt. Quae quidem cum Dei secundum personales, ut ita dicam, proprietates, quae diuinis a se inuicem personas distinguunt, vestigiū aliquid non sint; ad personarum inuestigationem sua similitudine non conducunt, sed ad omnipotentiae sapientiae bonitatisque tantummodo (quae sancti quidem Patres ob singularem aliquam conuentientiam, Diuinis peculiariter personis attribuerunt, vere tamen communes omnibus sunt) cognitionem viam ministrant. Deinde cum homo, atque etiam Angeli, qui diuinae quaedam imagines sunt, eiusmodi tamen perfectionis non sint, sed cum mille utrī diximus imperfectionibus mixtæ: cùmque intelligentiae, atque amoris in iis processiones non nisi obscurè admodum diuinis referant, multa earum dissimilitudine diuinis excellentiis indigna refertæ, nativa quævis creatæ mentis intelligentia quatuoruis acuta, & perspicax, prius conspiceret, nullum in Deo locum obtinere huiusmodi coniunctionem; quam vlo modo spectare ad infinitam illius perfectionem.

ALIO

A L I O insuper altitudinis gradu haec sanctissimæ Trinitatis sublimitas cæteras omnes, quas in Deo cognoscimus, perfectio- nis antecellit. Nam illarum nulla a Deo se- cludit eas imperfectiones, quas natura crea- ta adeo sibi affixas, atque agnatas, habet ut iuxta communem in scholis sententiam, nec Deus ipse eas sciungere, & reuellere possit: naturam aliquam absque his creando, quae simpliciter sit supernaturalis. Imperfec- tiones vero istæ tres ad minimum sunt, quas Philosophiæ Princeps Aristoteles recte indi- cat in 2. Phys. quem cæteri omnes tum Phi- losophi, tum Theologi una mente sunt secuti.

P R I M A est quod natura omnis creata actionis a se distinctæ principium est: huius- modi est motus quo quis progreditur, visio quam videt & similia. Subsistente siquidem illo qui iam mouebatur, motus definit. Et claudente oculos illo qui iam videbat, non est amplius in rebus visio: atque ita, neque motus, neque visio eius qui mouetur, aut videt, substantia est, sed aliquid ab eâ distin- ctum. 2. est quod talis actio siue sit motus, siue visio, siue alia quævis, cum non sit sub- stantia eius qui mouetur aut videt, quiddam substantiae attributum atque annexum est, quod Philosophi accidens appellatur. 3. denique est quod actio ista annexa, & acci- dentalis ob nativam suam imperfectionem

per

per se subsistere haud quaquam potest: vnde in substantiâ veluti in subiecto recipitur, eîque innititur. Tres porro istas imperfectiones, quæ rem creatam necessariò comitantur, nulla diuinarum perfectionum alia à Deo secludit, præter hoc diuinum sanctissimæ Trinitatis mysterium: atque adeò ratione illius diuina substantia in supremo gradu, & supernaturalis essentiæ fastigio collocatur: omniumque tum earum quæ conditæ sunt, tum earum quæ condi possunt, substantiarum imperfectioni, directò opponitur. Diuina siquidem natura, in Patre æterno, principiū est generationis quâ Filius gignitur. Quæ quidem generatio et si à Patre qui generat sit distincta, nō tamen à natura diuina, quæ est in Patre principium generationis: ea etenim ob infinitam suam perfectionem, eadē res est cum Patre, qui generat, & cum Filio genito, & cum ipsâ, quâ gignitur, generatione: & eodem modo, quia diuina natura in Patre, & Filio est principium spirationis, quâ producitur Spiritus sanctus: et si sanctus quidem Spiritus, & spiratio quâ procedit, à Patre & Filio distinguantur, non tamen à naturâ diuinâ, quæ cùm sit principium generationis, & spirationis, quæ à se distinctæ non sint, sed à personâ dumtaxat, quæ generat, & ab iis quæ spirant, primam illam, quæ in rebus creatis est imperfectionem

fectionem à Deo secludit; & eâdem ratione secundam & tertiam: nam generatio Filii, & spiratio Spiritus sancti accidentia non sunt, sed perfectiones substantiales; vnde in diuinâ quidem natrâ non recipiuntur, tanquam in subiecto cui innitantur, aut à quo sustineantur. Ex quo sequitur diuinum hoc mysterium propter hâc speciatim rationem, quæ in nullâ aliâ diuinarum perfectionum inuenitur, non tantum supra res omnes creatas in supernaturali ordine caput, vt sic dicam, attollere, verum supra omnes etiam alias perfectiones diuinas; vt Dei altitudo iure optimo dici possit, & debeat.

A c denique prætermissis adhuc nonnullis, per quæ cæteris præterea diuinis excellentiis antistet hoc mysterium, vnum dumtaxat hoc loco addam. Quod cæteræ scilicet perfectiones diuinæ extra hoc mysterium spectatae, seiphas etiam non exæquant. Sed in eo solo conspectæ eminent, quantumque possunt splendidissimè ac plenissimè elucescunt, atque infinitæ suæ præstantiæ supremum, vt sic dicam, culmen exerunt, adeò vt nisi in hoc mysterio consideratae forent, suam altitudinem atque eminentiam in eo gradu, in quo illam obtinent minimè demonstrarent. Fatentur certè omnes, & reuera constat, Deum, quia bonus est, sui communicatiū imprimis esse. Cæterū secluso hoc mysterio

mysterio poteritne Deus Optim. Max. opus aliquod sibi par extra se facere: ac se totum alteri communicare? Haudquaquam. Maximum enim quod iimpertiri extra se potest, est vno quam dicimus hypostaticam humanitatis Christi cum Filio Dei; at haec infinitè adhuc inferior Deo est, etsi propter illam, communicatione idiomatiū ut loquuntur Theologi, homo sit Deus & Deus homo. In hoc verò sanctissi. Trinitatis Sacramento infinitè communicatur Deus per intellectum Filio] sibi æquali, & tam bono atque est Pater, vt ait Paulus c. 2. ad Philippenses. *Qui cum in formâ Dei esset, non rapinâ arbitratus est, esse se æqualem Deo &c.* Communicatur etiam Spiritui sancto per voluntatem, tam bono, atque est Pater & Filius. Denique est communicatio quâ Filio & Spiritui sancto nihil minus quam eadem essentia, ac natura diuina, quæ est in Patre, cum omni perfectiōnum eius, & præstantiarum cumulo, communicatur. De diuinâ similiter omnipotentiâ quid dicimus? Habétne fortasse extra se terminum aliquem, non dico sibi parem, sed vel non infinitè imparem? Profectò minime: in hoc verò mysterio omnipotentia Dei in Patre æterno, parem sibi & Patri æterno, qui generat terminum obtinet hoc est Filiū suum vnigenitum: & omnipotentia quæ est in Patre & Filio, ad spirandum & producendum

cendum Spiritum sanctum parem vtrique terminum habet ipsum videlicet Spiritum sanctum. Ad extremum diuina ipsa infinitas vt cæteras speciatim eius perfectiones non recenseam, in quo alio eminet præterquā in hoc mysterio infinito? Quicquid nimirum extra semetipsum create potest Deus terminatum est & finitum, hīc verò & ille qui producit infinitus est, & productio quoque, atque is qui producitur ei paria & infinita. Infinitus est Pater generans, infinita generatio quâ gignit, infinitus Filius vnigenitus, & infinita generatio, per quam genitus. Infinitū similiter est principium quod spirat, infinita spiratio, quâ spirat: infinitus spiritus sanctus, qui spiratur, & infinita spiratio quâ Spiratur. Diuinæ tandem istius altitudinis considerationi ad fastigium perductæ coronidem imponam, argumento quodam, quod ne afferre quidem ausus essem nisi à magno priùs Dionysio allatum animaduer- tissim. Is igitur c. 1. de mysticâ Theologiâ, iuxta nostrum intelligendi modum (sic etenim accipiens est) comparatione factâ inter hoc diuinū Sæctis. Trinitatis mysteriū, & diuinitatem ipsam, superius certè illud, ac præstantius ipsâ diuinitate afferit. Trinitas (inquit) essentiâ, diuinitate ac bonitate superior, atque præstantior. Quæ quidem suprema Sanctissimæ Trinitatis laus est, & quæ

quæ de illâ commemorari possit longè maxima: neque est quod vterius progredi molliamur cùm nullus sit vspiam alibi tam sublimis perfectionis apex, atque est ipsa diuinitas. Quod si magnifica ista Dionysij magni verba, ad normam Theologicam exigere voluerimus, reuocanda in mentem est communis quædam & vera in scholis sententia, scrisque admodum Conciliis, sanctisque Patribus consona. Quod diuina scilicet essentia, ac natura diuinæ in se personas essentialiter non includat: quantumuis vna profus, atque eadem cum illis res sit. Ita nimirum innuit Concil. Toletanum 11. in confessione fidei dicens, quod Deus non dicitur ad aliud, sed ad se. Ex quo manifestè colligitur Deum vt Deus est, & ratione diuinæ suæ essentiæ, diuinæ essentialiter in se personas, & relationes Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quæ in ratione personæ eas constituunt, haud quaquam includere. Idem colligitur ex Conc. Lateranens. vt refertur in ca. Damnamus, de summâ Trinitate &c. Vbi definitur Patrem æternum totam suam substantiam, & essentiam Filio, & non aliquam tantummodo illius partem communicare: quod quidem non ita esset, si diuinæ substantiæ atque essentiæ Patris etiam personam includeret: indubitate siquidem & comperta res est hanc non posse Filio communicari cùm per illam

illam Pater à Flio distinguatur. Atque vt alia multa huius rei argumenta auctoritatésque fileamus, vel ex eo satis conuincitur quod si natura diuina in suâ essentiâ personas includeret, vel personarum nulla absolutè Deus esset, quia nulla earum in sua essentiâ alias personas à quibus distinguitur, includere posset; vel, si quælibet absolutè Deus esset, ipsa etiam in personis essentia triplex esset. Siquidem tres diuinæ in se personas, quarum quælibet absolutè Deus esset, includeret: utrumque porrò absurdum est, atque omnino impossibile.

**Q** uod cùm ita sit, quod diuina scilicet natura in suâ essentiâ personas non includat, cùmque aliunde constet, quod illæ diuinam essentiam in seipso includant, idque cum omni plenitudine, atque infinitate diuinorum perfectionum, neque semel tantummodo, sed etiam tertio quia Pater totam in se includit, & totam similiter in se Filius, & totam denique Spiritus sanctus; negare quis poterit sanctissimam Trinitatem secundum suam essentiam & expresse plures in se perfections continere, quam secundum se, & expresse contineat diuina essentia? Siquidem præter eas quas ipsa essentia semel includit, Sanctissimæ vero Trinitas etiam tertio, vt iā diximus; complectitur adhuc Sanctissima Trinitas, diuinorum tres personarum ratio-

nes, vñā cum potentia generādi quam habet Pater, & spirandi, quam habent Pater, & Filius. Vnā etiam cūm generatione quā Pater gignit, & cūm eā quā Filius gignitur: & cūm spiratione quā Spiritū sanctum Pater & Filius spirant, & cūm eā quā Spiritus sanctus ab utroque spiratur, aliisque similibus rationibus, quæ, cūm tribus personis communes non sint, vni tantum alicui, vel duabus illarum personis congruant.

**A T Q V E** ex his quidem liquidò constat verè licuisse Dionysio Sanctissimā Trinitatem ipsā quoque diuinā essentiā præstantiorē dicere: de eā, vt facit, præstantiā locuto, quam perfectionis extensiō Theologi nuncupant eō quod sanctissima Trinitas diuinitatē cum omnibus suis perfectionibus ter includat: atque eas præterea rationes quas singularium, aut duarum tantummodū personarum proprias iam retulimus: quāsque expressē & secundum essentiam in se contineare non potest ipsa diuinitas: & quamuis per admirabilem quandam æquipollentiam, vt sic dicam, eas quodammodo includat; comperta nihilominus & concessa res est quod non expressē & secundum suam essentiam eo modo quo de Sanctissimā Trinitate iam suprà ostendimus.

**V E R V M** quidem est quod si paulum de hac sceleritate scholasticā remittere quis voluerit.

Iuerit, leniorem haud incongruē sensum eruet: ipsis nimirum sancti Dionysij verbis, vt in autographo legūtur, ei fauentibus quæ sic redditur: Trinitas superessentialis, & superdeus, & superoptime &c. Possemus itaque dicere loqui illum de diuinitate, non vt in seipsā est, sed vt concipi & intelligi à nobis solet: atque adeo afferere Sanctissimam Trinitatem præstantiorem adhuc esse omni eo quod essentiæ nomine significamus aut intelligimus iuxta solennem Dionysio loquendi morem, quo passim afferit quod Deus est supersapiens, superbonus &c. Veruntamen hæc iam digressio facta sufficiat, atque usurpatā tantisper licentiā, è templo in scholam trāsītio, annuente supremi istius mysterij altitudine, & magnificis verè magni Dionysij, quæ de illâ protulit, verbis, eō vocantibus.

**P R O F V N D V M** denique huius mystérij, non minùs quā longitudo, latitudo, aut altitude, de quibus iam diximus, mystica est, & infinita. Profundum intelligunt S. Dionys. c. illo 9. de divinis nominibus, & S. Thom. lect. 5. supra citatā in 3. cap. Ep. ad Ephes. abyssum, & pelagus infinitum diuinæ eius cognoscibilitatis, & incomprehensibilitatis; cui in nobis respondeant obscuritas, tenebræ, & ignoratio. Profundum vero, (inquit S. Dionysius) obscuritas, & ignoratio,

ti, quæ à rebus omnibus comprehendendi non potest. Et S. Thomas : Profundum (inquit) Dei incomprehensibilitatem significat. Eique aptat verba illa Ecclesiastici 6. *Alia profunditas, quis inueniet eam?*

E t verò, nunquam puto emergeremus, si immensi huius profundi sinus omnes lustrare, fundumque in eo scrutari cogitamus. Solum itaque de illo dicam, non vacasse mysterio, quod non minus pedes, quam faciem Dei velarent seraphici illi spiritus, quos in celesti illa sua visione, Isaias Prophetæ Sanctissimæ Trinitati assistentes, se vidisse testatus est. In quâ quidem visione, diuinum hoc illi manifestatum esse mysterium, verba ipsa textus Hebraici satis indicant. Si quidem ubi nos legimus, *Vidi Dominum* : in Hebræo legitur : *Vidi dominantes*. Sed & alia similiter eodem loco verba, quæ refert Prophetam, numero plurali cum singulari coniuncto. Quem mittam? & quis ibit nobis? Clarius verò multo id testantur, voces illæ seraphicæ, clamantium : *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth*. Quibus, personarum in ynâ essentiâ Trinitatē designari, communis est sententia tam summorum Pontificum, Alexandri I. Benedicti I. & aliorum, quam plurimorum etiam Conciliorum, & fere omnium Ecclesiæ Patrum. Seraphici igitur isti spiritus sanctissimæ Trinitati

nitati assistentes, mysticè nos admonebant, quod, quemadmodum faciem Dei velabant, ne immensis maiestatis illius fulgoribus extâcarentur : ita & pedes similiter eius obtendebant, ne videlicet attonitis, à tam profundæ abyssi intuitu, vertigine oculis, rotarentur, ac sibiipsis exciderent : tam incomprehensa nimis ea est abyssus, ut infinitorum spirituum cœlestium infinitæ mentes, à diuinâ omnipotentiâ conditæ, & infinitam intelligendi vim sortitæ, quâ se intuicem excederent sine fine ; non solum non exhaustirent, sed ne exâquarent infinitam ipsius cognoscibilitatem ; quinimò infinita semper ulterius cognoscenda, & contuenda superaret. Siquidem hæc cognitionis, in hoc mysterio, cum suâ cognoscibilitate adæquatio, diuinorum dumtaxat propria est personarum, quemadmodum secunda earum indicauit Matth. i. illis verbis: *Nemo nouit Filium nisi Pater, neque Pater qui nouit nisi Filius*. Quin & Ioan. io. de eadem cognitione singulariter gloriatur: *Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem*. Et de Spiritu sancto testatur Paulus: *Quæ sunt Dei, nemo cognovit, nisi spiritus Dei*. Item : *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei*. Enimvero profunda hæc abyssus, in quâ mens omnis creata, illi impar, obruitur ; nec in eâ valet consistere, à solâ cognitione diuinâ æquatur, impletur, & non superatur.

36 *De Augustissimo mysterio*  
superatur. Vnde & priisci illi ac primi, na-  
scientis Ecclesiæ Patres, hoc præ cæteris sin-  
gulari præconio Sanctissimâ Trinitatem ce-  
lebrarunt, quod sola scilicet seipsum cognos-  
ceret. S. Martial. c. 10. Epistolæ ad Burdiga-  
len. qui in hoc, cæteris præluxisse visus:  
Sola (inquit) Trinitas, in diuinitate vni-  
tatis, seipsum nouit &c. Quem secutus  
postea videtur Tert. c. 17. Apologet. Minu-  
tius Felix in Octauio. S. Cypri. lib. de Baptis-  
mo Christi. Nazianz. oratione 2. de Theo-  
logia. S. Isidor. quest. 42. in Exod. aliique mul-  
ti. Nos porrò, si vel in vnius diuinæ prouiden-  
tiæ ac iudiciorum eius pelagus ingredie-  
remur, nullatenus illud tranare valeremus.  
Vnde illius tantummodo exclamationis S.  
Pauli Apostoli meminisse sat erit: *O altitudo*  
*dinitiarum, sapientiæ & scientiæ Dei!* quam in-  
comprehensibilia sunt industria eius, & inuestigabi-  
les via eius, &c. Quo loco, altitudo profun-  
dum significat: atque ita reddidit S. Hilar.  
comm. in Psal. 129. O profundum (inquiens)  
*sapientiæ & scientiæ Dei.* & S. Ioannes Chry-  
stost. in hunc locum S. Pauli, quem ita legit,  
*O profunditatem diuitiarum sapientiæ, &*  
*cognitionis Dei!* hæc addidit: *Quod quidem*  
*hæc in re profunditas sit, cognovit: quanta*  
*verò sit, non item. Admiratis quippe est ser-*  
*mo, non omnia scientis: in admirationem*  
*verò stuporeique raptus, quantum licuit,*  
duobus

duobus nominibus excellentiam habenti-  
bus, illa prædicauit, nimirum diuitiarum, &  
profunditatis: & confessim subdit, tantam  
esse hanc diuinorum profunditatem iudi-  
ciorum, ut nemo illi, non dicam compre-  
hendendæ, sed ne scrutandæ quidem par sit.  
Quod ipsum declarat amplius S. Greg. lib.  
29. moral. c. 15.

ATQVE hoc quidē tantillum est, quod de  
infiniti istius mysterij magnitudine, balbâ  
nostrî sermonis infantiâ, qualitercunq; fâdo  
sequimur, non assequimur. Quam sanè illi-  
lius magnitudinem Paulus Apostolus pri-  
mîs illis verbis obtexerat, *Manifestè magnum*  
*est pietatis sacramentum:* & quodammodo etiam  
detexit per eas quatuor dimensiones, seu  
mensuras prorsus immensas, quas in eo epi-  
stolæ ad Eph. cap. 3. commemoravit. Atque  
hæc magnitudo sola est, ad quam anhelare  
cor nostrum, & contendere debeat, nulla  
minori, quam diuina, longitudine exple-  
tum: in re nullâ creatâ, quantumuis pulchrâ,  
ac speciosâ, conquiescens; donec ad ipsum  
pulchritudinis ac speciei fontem peruen-  
tit; qui à seipso, & non alieno munere aut  
influxu, quicquid pulchri, speciosi, aut per-  
fecti est, obtinet: atque id quidem, absque  
ulla metâ, vel modo, vel imperfecti aliquâ  
mixtione. Hæc nimirum solius Dei est pro-  
pria, & is qui solus se cognoscit, ac diligit

quantum diligi, & cognosci potest; hoc ipsum seruo suo Moysi testatus est Exod. 3. Ostendam (inquit) tibi omne bonum. Bona omnia quæ creata sunt, præterquam quòd certo singula, ac determinato spatio interclusa sint; mille imperfectionibus defectibus admixtis obsolescunt: pulchritudo corporum, ea tum à natura indita, tum ab artificio addita inquinamenta habet; vt stomachi multum ac nauseæ, vel recensita tantummodo faciat. Forma ipsa, mille deformitatibus plena est: quod si aliqua istarum expers, aut non omnino plena, rara profectò erit, ac ferè solitaria: atque hæc etiam, vel morbo deflorescit vel vetustate corruptitur. Pulchritudo item animorum, id est, sapientia (vt incertitudinis perturbationisq; nebulas ac tumultus quotidianos fileain) quām innumeris penè fucis, ac fraudibus, erroribúsque miscetur? Honos, diuinitatē, potentia, ecquid tandem aliud sunt, quām inania opinionum simulachra, falsis nominibus solum placentia? Solus Deus est omne bonum, omnipotēque boni summa, & cumulus, modi aut mensuræ expers. Vnde in hunc Exod. locum S. August. lib. 8. de Trinit. c. 3. Quid (inquit) plura, & plura? bonum hoc, & bonum illud; tolle hoc, & illud; & vide ipsū bonum si potes, ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni. Et paulò iterum inferius. Sic amandus est Deus, non hoc & illud bonum,

bonum, sed bonum omnis boni. Luciferi nimis exemplo moniti caueamus, cuius tam eximia pulchritudo mentis, & sapientia fuerat, vt Deus ipse, per Prophetam Ezechiēlem c. 28. plenum sapientiæ, & decore perfectum, appellauerit: & quem suo similitudinis diuinæ signaculo singulariter exornavit: *Tu signaculum (inquit) similitudinis, plenus sapiencia, & perfectus decore.* Hic tamen, talis ac tantus, quòd suâ formâ contentus, immodico in seipsum amore exarserit, atque in seipso hunc affectum sistere voluerit, nec cor suum ad eius longitudinem, qui omnis boni ac pulchritudinis fons est, extendere, nec pulchritudinem quam ab eo acceperat, ei referre: nec beatitudinem, quam debuerat, ab eo expectare; amoris sui vim in sui p̄suis decorem, & nō in Dei bonitatem impendens: Eleuatum est cor tuum in decore tuo. De cælesti ac supremo Archangelo, diabolus apud inferos effectus est: & ex summè pulchro, summa turpitudinis ac fœditatis. Nostri itaque cordis longitudo, in re nullâ creatâ debet subsistere, nec ante quiescere, quām ad eum peruenierit, qui omne bonum, & omnis pulchritudo, à seipso est. Idem si quidem bonum, & pulchritudo est, quemadmodum nos edocuit S. Dionyi. c. 4. de diuinis nominibus.

IDE<sup>M</sup> similiter latitudinis animæ nostræ impendium esse debet; quæ quidem latitudo ad similitudinem diuinæ, in cognitione, & amore consistit. Quemadmodum enim diuinæ tres personæ, suam assidue infinitam pulchritudinem contemplatur, & in assiduo amoris illius incendio exardescunt; sic intelligentia & amor animæ nostræ, cessare non debent, sed dies noctesque, diuinam illam pulchritudinem contemplari, hic verò in eam ignescere, & viuo amoris incendio conflagrare; vt in hac vitâ adhuc positi beatitudinis in cælo post futuræ (quæ in vnius trinique Dei visione & amore constituitur) præfagia capiantur.

S V P R E M A M deinde Dei altitudinem, & infinitam eius, supra res omnes creatas, excellentiam suspicentes, eiusque cōsortio, & familiaritate ad cœlestia sublati, hæc humilia & caduca despiceret, atque, vt loquitur Apostolus, omnem, quæ Deus non est, sublimitatem ei postponere debemus: quippe quæ infinitâ ab eo distantiâ subsidat; ac non nisi umbra quædam diuini apicis, è longinquo proiecta videatur: deniq; in profundâ diuinitatis abyssō, infinitas suinmè boni atque amabilis rationes alta mente perscrutantes, ac magis magisque illi nos immergentes, insatiabilem eius affectum, amoremque combibere.

ATQVE

ATQVE vt cæteras (quia sunt innúmeræ) infinitè in Deo amabiles rationes omittam, vnam tantummodo, quæ ad nos propius attinet, quāmque discipulus ille præ cæteris Christo dilectus cap. 4. primæ suæ epistolæ, nobis commendauit, quod in rei nostram futurum sit, hîc expendere operæ pretium duxi. Quod nos scilicet Deus ipse amando præuenierit, *Qui prior diluxit nos &c.* Nec qualicumque certè amore, sed æterno, assiduo, ac perpetuo Hierem.; 1. *In charitate perpetuâ dilexi te.* Primus siquidem ille fuit, qui amore adeò prompto, amicitiæ circulum ducere cœpit, atque adeò ad eum claudendum, mutuo reddito amore, nos obstrinxit; virésque sufficit, ne harum defectu, ab implendo officij nostri munere retardemur; sed gyrum hunc ab eo incœptum, in orbein ducamus, atque in eum motione perpetuâ circumferamus. Hanc enim ob causam Magnus Dionysius c. 4. de diuinis nom. amorem diuinum, circulo perpetuo comparauit. Quasi circulus (inquit) quidam perpetuus. Nimirum qui amorem prior occupat, hic principium circulo dat: qui amanti mutuum reddit, amori scilicet amoris pretium quod debebat exoluēs eundem claudit: & quandoquidem linea in circulum ductæ peculiare est vt in eodem, in quo cooperat, puncto terminetur, atque adeo

idem

idem omnino , principium ac terminus , in eo sint : idem insigniter in hoc amoris circulo fieri , experimur : in quo , idem amor est principium ac terminus , & terminando dat principium , ut mox dicemus . Atque ideo S. Dionys. circulum dixit , & perpetuum quoque addidit .

Nec eo tamen inficias , non minus obscuram quam singularem videri hanc comparationem . Nihilominus obscurius adhuc est , & explicatu difficultius id , quod additur . Cuius intelligētia quo melius enodari possit , ponenda imprimis est doctrina quādam amantibus comperta admodum , & concessā quam , vti cætera omnia , egregiè declarauit S. Aug. c. 4. de catechizandis rudibus , vbi duo ad rem nostram afferit . Primum quidem est , quod amando præuenire , maximum amoris inuitamentum sit . Nulla ( inquit ) maior est ad amorem inuitatio , quam præuenire amando , & nimis durus est animus , qui dilectionem , si solebat impendere , nolit rependere . Neque verò hæc durities , solā hominum comparatione nimia esse censetur , sed in ipsis etiam belluis brutisque animantibus , nam ea quoque , amore in ostentantibus , amorem exhibent . Atque hinc quidem Seneca epistolā 9. ad Lucilium Hecatonis dictum referens , insipientium amatorum studia ridet , qui philbris ac beneficio amores ambiunt : cum nihil

hil fortius amorem excitet , quam amor accensus . Ego ( inquit ) tibi monstrabo amatorium , sine medicamento , sine herbâ , sine ullius beneficæ carmine , Si vis amari , ama . Idem contendit Ouidius illis versibus :

*Non faciunt ut vivat amor Medaides herbe,  
Mixtaque cum magicis, Marsa venenafomis.*

*Nec data profuerint pallentia philtrea &c.*

Et Martialis .

*Hoc non fit verbis, Marce , ut ameris , ama.*

SECUNDVM quod afferit S. Aug. est , quod quemadmodum amoris inuitamentum maximum est amoris præuentio ; ita incrementum eius in altero potissimum excitat , eiusdem in altero multiplicata accessio . Manifestum est ( inquit ) nullam esse maiorem causam , quā vel inchoetur , vel augeatur amor , quam cum amari se cognoscit , qui nondum amat , aut redamari se vel posse sperat , vel iam probat , qui prior amat . Atque adeò non solum , amorem amor excitat , sed idem quoque auctus , eundem adauget . Atque omissis interim aliis vtriusque causis ac rationibus , hanc in praesenti adduxisse sufficiat : quod cum amor feratur in id quod est amabile , cæteris , quæ ad hoc requiruntur , non desideratis , amor profecto , non amantem solummodo reddit eum qui amat , verum etiam amabilem , & valde amabilem , comparatione eius qui amatur : quem sui hac amoris , ut ita dicam

dicam, amabilitate, in mutuum amorem inuitat, atque inducit. Nam si id amabile est, quod amari dignum, quis amari obsecro à me dignior est, quamvis is, qui me iam amat? *Quis vel oculis, vel animo meo gravior, vel acceptior, meliusue de me est meritus, meumue iustius amorem promeritus, quam qui me amando vel præuenit, vel etiam vicem reddidit?* amor sicutem, amoris meritum, ac merces est, solaque iustum dilectionis premium, est dilectio mutua. Sic nimirum

*8. Canticus Spiritus sanctus: Si dederit homo omnem substantiam domus sue pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Si eo igitur ipso, quod quis alium amet, amabilis ipse, comparatione eius constituitur quem amat: atque eo quidem magis amabilis, quo impensis amat; atque hac amabilitate, in quam amor anhelebat, & audiē fertur, amorem mutuum, illiusque incrementum in amato excitat; Deus certè, innumeris nominibus sumimè amabilis, cùm per se ipse sit; speciatim verò, ob singularem quo nos præuenit amorem, eiusque vim atque efficientiam, quā vires nobis, atque subsidia supernaturalia contribuit, vt amore eius, amore redimamus: ecquis tandem inficias irè poterit, quin ipse non modò principium isti circulo, nos in amore præueniendo, contulerit, verum ut possemus etiam nos, amore inuicem reciproco,

illum

illum claudere; gratuitò semetipsum, peculiari in nos amoris liberi nomine, amabilem nobis reddiderit, & maximè certè ac summè amabilem, amabilitate non solùm, vt vocant, passiuā, cā scilicet quæ amat, & est terminus amoris, & scopus in quem contendit: sed actiua etiam, quæ vim eam insuper, & efficacitatem obtinet, vt ad redamandum excite: ac fortius multò efficaciūque, quam magnes aliquis ferrum, attrahat, alienos ad se amores compellat: atque id quidem eo fine, vt amorem reciprocando, nos circulum finiamus; cui principium ipse præueniendo largitus est. Atque ita, quemadmodum amor, quo nos Deus præuenit, eum nobis amabilem adeò exhibet, atque ad redamandum nos etiam excitat; eoque magis, quæ impensiori nos amore præuenit: sic amor ille, quem chariatis ab eo impensa vi adiuti, illi rependimus, amplius nos amabiles illi præstat, atque eò certè magis, quod maiorem illi dilectionem præstamus. Ex quo fit, vt amoris circulum, redamando claudentes; eundem nouā amabilitate denuò referemus. Ac Deus quidem, vt in amando, sic in amore nobis retribuendo, minime cūstat: cùm sit, apertum à nobis hunc circulum, denuò per maiora dilectionis incrementa redintegrando, nobisque insuper nouam redamandi actius vim donando;

eundem

eundemque claudendo circulum, vñā etiam nouo à nobis amore claudendum iterum aperit, nouâ amabilitate: atque ita in immensum eundo, quanto maior est diuina dilectio, tanto amabilior Deus ipse à nobis est. Qui maiori amore circulum absoluens, iterum maiori amabilitate eundem incipit: atque in hunc modum, perpetuus iuxta sententiam Dionysij circulus, in gyrum ducitur & absque fundo, profundū diuinæ amabilitatis, in immensum dehiscens submittitur. Et sanè constat, quod nostra id culpa fiat, ex parte Dei nunquam deficiet, vel circuli istius perpetuitas, vel oceani dilectionis eius infinita profunditas. Experta est hoc toto vitæ suæ tempore sanctissima Virgo Maria. Atque hac assiduâ dilectionis exercitatione, & perpetuo amoris amabilitatisque incremento, ad tantum gratiæ charitatisque culmen excrevit, tantumque immensa, quâ nunc fruitur, gloriæ cumulum suo merito conquisiuit. Quod tam se paratam videlicet, ad rependendam amori diuino mutuam dilectionem, exhibuerit: Ac cæteri item Sancti, pro maiori vel minori in hac parte promptitudine, plus minusve apud Deum meriti sibi vendicarunt. Et nos denique plus adipisci ab illo poterimus, si per desidiam, ac fôcordiam nostram minimè steterit.

VERVMENIMVERO, quia diutiùs quam

quàm constitueram, secundum mystici istius ænigmatis insigne me detinuit, venio iam ad tertium atque ultimū quod supererat, illi accommodandum, quod nec minùs congruit, quàm priora. Declarante siquidem verbo incarnato hoc ænigma obscurissimū, & Spiritu sancto eius declarationem comprobante: *Quod manifestatum est in carne, iustificatum est in Spiritu.* Cofestim, ut ibidem subiicit S. Paulus, mundus illi ditione facta, credidit, & fide captus, atque constrictus, in triumphum ductus est: *Creditum est in mundo, assumptum est in gloria.*

SOLVM igitur hoc loco restat querere, quot modis, diuinum hoc ænigma, per diuini Verbi incarnationē manifestatum fuerit: *Quod manifestatum est in carne.* Et primus quidem sit, eo quod ipsamet per se Verbi incarnatione, huius mysterij quædam veluti manifestatio extiterit. Cætera diuinorum operum, quæ extra semetipsum Deus producit, ab eo in quantum est unus procedunt, & eorum omnium principium & fons, omnipotentia scilicet, omnibus tribus personis communis est: neque earum aliquam sigillatim respicit, neque Deum vt trinum, sed vt unum. Ac proinde ea omnia opera, in Dei tantummodo prout unus est, non verò prout trinus, cognitione nos inducunt. At incarnatione Filij Dei, et si vt commune trium

G diuinorum

diuinorum personarum effectum, adhuc quā vnuis est tantummodo Deum respiciat: at peculiari tamen ratione, personam Filij singulariter denotat; illius siquidem, & non Patris, vel Spiritus sancti, cum naturā humānā singularis nexus est, atque coniunctio. Atque ita nos rectā dirigit illius prænotio ad Filij, qui per eam incarnatus dicitur, notionem: atque occasionem obiicit, eum à Patre, ac sancto Spiritu, qui incarnati non dicuntur, distinguendi. Verūm, et si hoc modo obscurissimum hoc mysterium manifestum sit in carne: non tamen hic solus est ac solitarius, qui mundum vniuersum, huic sanctissimae Trinitati, per illius fidem subiecit.

S E C V D V S ergo modus est: quia ex diuinā istā vniogeniti Dei Filij cum naturā humānā coniunctione, admirabilis quædam Trinitas emersit; ac præsenti, de quo agimus, sacramento, quā simillima. Triū siquidem substancialium, in secundā sanctissimae Trinitatis personā, coniunctio extitit. Vnde Innocent. III. li. 4. de mysterio altaris c. i. In hypostasi (inquit) Filij, est substancialium Trinitas. Videlicet Deitas, corpus, & anima. Et hæc certè trium naturarum substancialium in secundā personā diuinæ vnitate, coniunctio omnium proximè ad trium personarum substancialium in diuinā essentiā.

tiā vnitatem accedit. Cum verò in hac Filij Dei incarnatione, facta sit diuini, humanique coniunctio, ex parte diuini, in hoc Trinitatis coniunctum ingreditur persona Filij Dei, & diuina essentia; quæ quidem eadem sunt, quæ in Deo trino, & uno reperiuntur. Vnde & hæc etiam Trinitas, suo modo, istius diuini Sacramenti manifestatio quædam est:  
*Quod manifestatum est in carne.*

V E R V M T A M E N, neque prima illa, neque secunda etiam ista manifestatio, cæ fuerunt, quæ hoc nobis ænigma expedierunt, conuictumque veritate mundum, cuius confessioni ac fidei subdiderunt. At fuit reuera tertia, quā singulariter dilectus Christi discipulus i. Euangeli sui capite nobis indicauit. Vbi cùm ineffabilis istius mysterij, diuinitūs conceptis ad explicationem eius verbis, meminisset, *In principio erat Verbum, &c. Et Verbum caro factum est, &c.* mox, subiecit: *Deum nemo vidit vñquam: Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Ac si diceret: Nemo vidit qualiter Deus trinus, & vnuis in se sit: atque ita, nemo hoc ænigma resoluere potuit; nec Moyses, nec alius prophetarum: Vnigenitus, qui in sinu Patris cùm sit, omnia eius arcana nouit; ipse est qui hoc nobis solus enodare potuit, atque etiam enodavit. Gloriabundum adeò de hoc munere, tam sibi proprio, tam perfectè ab

se impleto, Verbum diuinum, eiusdem Euā-gelistæ c. 17. sic Patrem alloquitur: *Ego te clarifican̄ super terram, opus consummaui, &c.* ecquod nimirum opus? confessim exprimit dicens: *Manifestaū nomen tuum hominib⁹.* Ecquod verò nomen? Deine an Patris? Haud dubium profecto quin Patris, ut communiter, & verè hoc loco interpretes. Ac proinde egregie admodum in 2. cap. libri de Oratione doctissimus Tertull. *Nomen* (inquit) *Dei Patris, nemini proditum, etiam qui de ipso interrogauerat Moyses, aliud quidem nomen audierat. Nobis reuelatum est in Filio, iam enim Filius nouum Patris nomen est: & aperiūs, Nōmē tuum manifestaū hominib⁹ &c.* Nomen videlicet Patris. Vnde & S. Ioann. Chrysost. Theophylact. Euthym. Leontius, & Rupertus in hunc locum, afferunt: nomen Dei, priusquam Verbum carnem humanam induisset, notum admodum in mundo extitisse, atque ita, de eo nomine Christum non locutum, cùm diceret, *Manifestaū nomen tuum hominib⁹:* sed de Patris nomine, quod eosque ignotum fuerat. Quamobrem S. Paulus cap. 1. ad Coloss. ait Christum Dominum fuisse imaginem Dei inuisibilis, hoc est incogniti. Neque verò de Deo loquitur, ut secundum naturam in tribus personis reperitur, sic etenim Christus Dominus illius imago non est, cùm nec distinctus ab eo sit. Sed tantum

de

de Deo Parre, cuius nempe solius imago est, & à quo solo procedit. Et in eundem S. Ioannis locum Aug. In hoc (inquit) quod fecit mundum, calo terraq; conspicuum, notus in omnibus genibus Deus: in hoc verò quod Pater est huius Christi, nomen eius, prius occulūm, omnibus nunc manifestauit, &c.

Q uamvis autem de hoc multa dici posse videam, quām occultum scilicet, atque abditum fuerit hoc Patris nomen, antequam Filius carnem assumeret, & quomodo sagacissimi gentium Athenienses, qui propiūs, quām cæteri ad diuinam cognitionem accesserant, vix quidquam amplius consecuti de eo fuerint, quām vt ignoti Dei nomine, aris constitutis, eum colerent: donec induitum humanā carne Verbum diuinum, tam Iudeis quām Gētibus, arcānum istud absconditūmque mysterium reuelaret: solum nihilominus hīc adnectam verba quādam S. Cyrilli in lib. 3. Dialogi de Trinitate. Quibus hoc omne quod de hoc arguento dici poterat, compendiosā breuitate conclusit. *Ethenim* (inquit) *ipse nōster Sacrorum dux Moyses, precabatur sanè diligenter, ut euidentem & absque umbris scientiam Dei, assequeretur. Proinde dicebat, ostende mihi te ipsum. Pracipiebatur autem fodere in terrā, & per angustissimum foramen, si veller videre, per enigma nobis significante, & in hoc quod lex de Deo scientiam, his qui docebantur,*

ad eo parvam irradiabat ut quasi per angustissimum foramen, lumen vix immitteret. Nam quod solum unus sit Deus credere voluit; at quomodo per seipsum diuina & ineffabilis notitia habeat, non manifeste demonstravit, quemadmodum salutaris praedicatio qua per Christum. Nam postquam agnoscimus, quoniam Filius prodicerit, & natus sit ex Patre, sicut ex radice, & prolixi scientia genitoris naturam depingens, quasi in tabula, preparauit oculum mentis, ad inuestigandum ea quae supermentem, & sermonem. Eapropter dicebat ad celestem Patrem & Deum: Manifestavi nomen tuum hominibus. Et ad Iudeos: Neque me nūscistis, neque Patrem meum, & illico subiungit: Sequitur itaq. Euāgelicas prædicationes legalis eruditio, qua prædicat quidem quod unus sit Deus, & nullo modo dilatata divinitatis naturam ad triplicitatem secundum subsistētiam, nec iterum congregat ad unitatem naturalem. Hec enim nos noua docuit scriptura. Haec tenus S. Cyrillus.

ENIM VERO doctrinam istam admirabilem, diuinitatis, vt ait ille, naturam, ad triplicitatem secundum subsistentiam dilatantem, & ad naturale iterum unitatem congregantem, quæ solutio, & enucleatio est præsentis ænigmatis, in quo Gentium infidelitas & Iudæorum cæcitas usque adeò allucinata est; doctrinam, inquam, istam, Filio Dei carnem induito debemus; qui tum innunctoris aliis in locis, tum in his præcipue verbis,

quæ

quæ thematis loco sermoni hodierno pætexuimus, eam professus est: Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Quibus sanè verbis, rem subiectam mirifice exprimentibus, tres diuinas personas distinxit, & diuinæ pariter naturæ unitatem afferuit. Singulariter pronuntians, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: non autem in nominibus, &c. Nomen Dei in sacris literis, pro diuinâ virtute, & potentia sumitur. Psal. 33. Deus in nomine tuo saluum me fac, &c. In virtute scilicet ac potentia tuâ. Quod verò intelligi eo sensu debeat, manifestè indicant ea quæ sequuntur: Et in virtute tua indica me. & Sancti Marci cap. vlt. In nomine meo demonia eiiciunt: linguis loquemur nouis &c. & Act. 16. & alibi sepe. Verum enim uero si potentia, & virtus Patris, & Filii, & Spiritus sancti eadem, atque una est, tribusque personis communis, aperta res est, candem etiam diuinæ naturæ esse, cui attribuitur, & quam perficit virtus ista seu potentia. Atque ita, diuinorum Trinitatem personarum, & naturæ ex hoc loco unitatem concluserunt S. Basili. Ep. 64, S. Cyrill. Hierosol. Catechesi 16. S. Iustin. Mart. in expositione fidei. S. Athan. serm. 3, contra Arian. S. Hilari. lib. 2. de Trinitate. S. Gregor. Nazianz. oratione 5. de Theologia, atque alij plurimi: ut meritò sanè dixit S. Paulus, diuinum hoc mysterium, & Ver-

G 4 bo

104      *De Augustissimo mysterio*  
bo incarnato manifestatum fuisse: *Quod manifestatum est in carne, &c.*

S V B I V N G I T deinde : *Iustificatum in spiritu.* confirmatum scilicet , ac comprobatum signis, atque miraculis , quæ in eius fidem operatus est Spiritus sanctus. Non tantum in Baptismate Christi Domini, quando & Paterna vox audita est: *Tu es Filius meus dilectus &c.* Et cælum aperiri visum , & Spiritus sanctus , in corporeâ columbæ formâ videndus apparuit,& supra Christi caput descendens consedit, sui insuper, ac diuini istius in se mysterij indicia exhibens : sed succendentibus etiam temporibus,in Dei Ecclesiâ, innumeris huius mysterij veritatem miraculis contestatus. In confutationem confusioneque hæreticorum , Arianorum , videlicet, ac cæterorum, in fidem huius mysterij perduellium , quæ prolixitatis vitandæ gratiâ non recensco, inueniet qui ea legere cupiet in S. Athanas. oration. 1. cont. Arian. & in Epist. ad Serapion. S. Greg. Nysseno in oratione de laud. S. Greg. Thaumaturgi S. Epiphan. hæresi 68. & 69. S. Ambros. in serm. S. Geruasij & Protasij S. Gregor. lib.3. Dialog. cap. 29. 30. 31.& 32. S. Ioanne Damasc.lib.1. de Fide.c.10. & in multis historiis fide dignissimis. vt in Rustico lib. 10. suæ hist. cap.3.& lib. 11.cap.4. Fortunato in vita S. Hilarij,& in vita Sanctorum Basilij &

Amphi

*Sanctissima Trinitatis.*      105

Amphilochij:& in vita S. Martini, in Sulpitio. Niceph. lib.8. cap.23. Victore Uticensi lib. 1. 2. & 3. de persecutione Vandalicâ. Adone anno 492. Vasio anno 584. Atque vnum quidem celebre admodum , in nostrâ Hispaniâ , regnante Leouigildo anno Domini 586. latè recenset Pater Ioannes de Maria- na Societatis nostræ cap.13. lib.5. suæ historiæ. Ex quibus certè omnibus constat , hoc mysterium , iustificatum , vt ait Apostolus, esse in Spiritu ; nam Spiritus quidem Sanctus probè ac plenè exegit , quod incarnatum de illo Dei verbum Ioannis 16. dixerat: *Ille me clarificauit, quia de meo accipiet: & annunciat vobis.* Quasi diceret: vt ego Patris, sic ille mei , claram mundo notitiam dabit : nam sicuti ego hoc Patri præstisti , quia diuinam suam ab eo naturam accepi , & cum eâ, scientiam, etiâ quâ illius mundo notitiam dedi : ita & Spiritus sanctus quia à Patre , & à me recipit , æternumque recipiet diuinam naturam , & cum eâ, meam , totiusque Sanctissimæ Trinitatis scientiam, idem ipse mihi præstabit, mundoque vniuerso notum faciet. Quod verò de Spiritu sancto hîc sit sermo, deque modo , quo diuinam essentiam , ac scientiam à Filio accipit ; aperte colligitur ex S. Hilar. lib.8. de Trinitate. S. Greg. Nazianz. oration. de fide quæ est 49. Sancti Ambros. l.5.de fide c.6. S. August. tract. 99.

G   §        in

in S. Ioan. S. Ansel.li.de processione Spiritus sancti c.7.& Venerabili Bedâ in hunc locum S.Ioan. & plerisque aliis: & ratione quidem istius notitiae , quam de Patre Christus mundo intulit, & de utroque Spiritus sanctus, recte sequitur , quod subtexuit S. Paulus post hæc verba : *Quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu.* Credidisse vide licet mundum , seque diuino isti mysterio subdidisse. Atque illud quidem , victoriam ac triumphum per hanc à Filio , ac Spiritu sancto allatam orbi notitiam , de uniuerso orbe retulisse: *Creditum est in mundo, assumptum est in gloriam.*

**V E R U M T A M E N** ,quia nec citra pugnam est victoria , nec sine repugnante aduersario , pugna; Ut notauit optimè de hac ipsâ,de quâ nunc loquimur,victoriâ differēs li.5.Epistolarū epistola 3 i.ad Valentinianum Imperatorem S.Ambros. *Nulla* ( inquit ) *est, sine aduersario corona victorie,* sed explosâ cā opinione , quæ ante conualuit , id quod erat verum , iure prælatum est: Id circò, vt aliquid dicamus de hac victoriâ , quam de uniuerso orbe hoc mysterium per fidem retulit,iuxta illud S. Ioannis Euangelistæ Epistolâ primâ c.5.*Hæc est victoria qua vincit mundum, fides nostra: perficiendum non minùs est , quænam fuerit mundi aduersus hanc veritatem repugnantia , duabus animæ nostræ facultatibus,*  
quibus

quibus contendere solitus est , resistentis: intellectu scilicet , ac voluntate. Quod ergo ad voluntatem attinet , usus in eâ est mundus ad hanc pugnam , magnâ eius proclivitate, ac propensione , quâ intellectum ad se inclinat, persuadetque ut nihil sibi persuasum habeat,quod non penitus intelligat,cuiusq; nō ratione intimâ probè cognitâ perspectâmq; teneat. Intellectus porrò , ac mens nostra, cùm nihil intelligat , cuius illi imaginem phantasia non effinxerit , atque adumbrauerit ; cùmque imagines ab eâ adumbratæ sensuum tantummodo exemplo conformatae sint ; atque hi etiam , tres personas distingueas, in essentiæ vnitate representare non possint: hinc exorta est prima aduersus hanc veritatem repugnantia , quam serm. 147. de tempore innuit S. Aug.his verbis: *In homine carnali , tota regula intelligendi , est consuetudo cernendi. Quod solēt videre, credunt; quod nō solent, non credunt.*&c. i.li. 1. De Trinitate: *Qui Fidei* ( inquit ) *contemnentes initii, immaturo & peruerso rationis amore falluntur. Quorum nonnulli ea, que de corporalibus rebus , sine percens corporeos experta nouerunt, sine, que natura humani ingenij, & diligentis vivacitate , vel artis adiutorio perceperunt , ad res incorporeas & spirituales , ut ex his illa metiri, & opinari velint.* Atque ex hinc etiā sequitur secunda horum obstinatio , quâ ad contradicendum proieci , pro impossibili

con-

confestim ducant, quod cogitatione ipsi vel intelligentiâ asséqui se posse diffidunt. Adeoque ultra procurrētes, quod cognitione non possunt, irtisione prosequuntur. Hinc obtrectationes illæ, atque ludibria Gentilium, Iudæorum, atque hæreticorum, de hoc supremo sacrofancatóq. mysterio. Vnde de animâ nostrâ agens S. Aug.lib.de verâ religion. cap. 3. sic ait. *Dum consuetudine huius vita, atquæ sensibus corporis, inanibus evanescit imaginibus, irrident eos qui dicunt esse aliquid, quod nec istis videatur oculis nec ullophantasmate cogitetur.* Et S. Cypri. in serm. de cœnâ Domini. *Omne ( inquit ) quicquid à suis rationibus deuū videtur, sapientes huius seculi ad demeniam referunt, & à veritate reputant alienam. Sed veritas ab erroneis hominibus comprehendendi non potuit, & cum in sole vellet figere oculos, vim luminis non ferens, cœcata, non illuminata, est humana presumptio.* Ac de istorum certè similibus, initio diximus, hoc mysterium, obscuritatis caliginisque victoriam reportare, summæ ( vt ait S. Cypr.) lucis fulgoribus eos excœcans. De humilibus verò, atque ei subiectis, de quibus dixit Apostolus, *Creditum est in mundo, assumptum est in gloriam,* victoriam claritatis cognitionisque obtinet, interueniente quidem ignorationis caligine, vt diuinè tradidit, in verbis iam supra declaratis Magnus Dionys. & rursum in aliis ad rem nostram mirè facien-

cientibus Epistolâ secundâ ad Dorotheū: *In hac ( inquit ) caligine, versatur omnis, qui Deum nosse, & videre meretur; hoc ipso quod non cernit neque cognoscit, verè in eo quod cognitionem & aspectum superat versans, atque hoc ipsum noscens, quod est supra omnia, & qua sensu percipiuntur, & qua ratione intelliguntur.*

**E N I M V E R O** accurata hæc sancti Dionysij cogitatio, clarissimis acutissimisque post illum ingeniis adeò est cōprobata, vt variis certatim rationibus excogitatis, alios quisque antecedere in eâ perpendendâ certauerit. Tertul.c. 17. sui Apologet. *Quod immensum est ( inquit ) sibi soli notum est. Hoc quod est, deum estimari facit, dum estimari non capit, id est, capax non est.* Et disertissimus Christianorum Aduocatus Minutius Fœlix in suo Octauio: *Ideo ( inquit ) eum sic dignè estimamus, dum inestimabilem dicimus: Eloquar quemadmodum sentio, magnitudinem Dei, quise nosse putat, minuit, qui non vult minuere, non nouit.* Quorum quidem verborum primis, honorem addidit S. Cyprian. iis vsus in li. de vanitate idolorum n. 5. aliis similiter vsus est Lactantij Præceptor Arnob. li. 8. Adiecit verò S. Aug. ser. 189. de temp. hoc non esse, minus aliquid de Deo cōsequi, sed plus cognoscere: *Vis scire ( inquit ) naturam Dei: hoc scito quod nescias, nonne magis plus videris à ceteris scire?* Et paulò inferiùs: *Vides, quod in eo quod dicas nihil te scire.*

110      *De Augustissimo mysterio*

*scire, magis nosti. Et iterum: Credo quod nescio, & proprieascio, quia me scio nescire quod nescio.* Et S. Chryost. serm. 19, in Epistolā ad Ephes. positis ad rem exemplis, hæc subiicit: *Itaque ignorans hoc loco sapiëtior esset eo, qui istud se scire promitteret: Quamobrem? eo scilicet, quod & illa ignorantia, scientie quidquam habet; nam qui se ignorare dicit, partem aliquam veritatis nouit.* *Quam vero illam! quod videlicet istud sit homini incomprehensibile. Neque enim hoc scire parvum est.* Qui vero scire se dicit, is potissimum ignorat, quod se scire dicit: atque ob hoc ipsum ridiculus est. Breuiter at concinnè idem nos docuit S. Cyrill. Hierosol. in sua Catheesi 6. In his ( inquiens ) quæ de Deo dicuntur, *hac maxima est scientia, ignorantiam fateri: Et S. Maxim. in explicatio-*ne c. 1. S. Dionys. de mysticâ theologiâ: *Hanc solam ( inquit ) habet Deus veram cognitionem, non cognosci.* Et S. Ioan. Damasc. lib. 5. De fide orthod. c. 4. *Infinitus ( inquit ) est Deus, & incomprehensibilis, atque hoc unum ex eo percipi, & comprehendendi potest, nimurum, quod ipse infinitus, & incomprehensibilis fit.* Non ex eo igitur quodd mens nostra propriam aliquam Dei excellētiā non percipiat, quodd angustum eius captum excedat, quâle est hoc, quod trinus sci-licet, atque unus sit, non ex eo, inquam, negare id debet, aut impossibile existimare: cum eo ipso quodd ob summam eius præstantiam, cogitationem nostram effugit, subli-

me

*Sanctissima Trinitatis.*

111

me quidpiam, ac Deo dignum videri mereatur: atque in Dei immensitate, locum facile inuenire possit; quod in humanâ men- non possit. Atque adeo, vt ait S. Greg. lib. 9. suorum Moralium c. 11. *Qui in factis Dei rationem non inuenit, in infirmitate suâ in-uenit, cur rationem non inueniat.* Et verò si in factis operibüsque diuinis sic se habet, quantò magis in Deo ipso, atque interioribus eius excellentiis: præsertim verò in hac omniū maximâ sanctissimâ Trinitate? Quin- imò sana, sagaxque mens, Deo dignum hoc præcipue iudicabit, quod suam excedere intelligentiam animaduerterit: & per illius ( vt initio diximus, & modò grauiissimos id docere Patres indicauimus) ignorationem, ad solam ac veram illius in hac vitâ concefanī mortalibus notitiam peruenire.

N E Q V E verò ad eō insolens animis nostris videri debet ista intelligendi ratio: in hac prælestim elatione, atque altitudine my- steriorum: cùm negare non possit idem sibi in animæ suæ, ac sui ipsius cognitione com- paratum esse. Primum siquidem si interro- gauero, suamque, vt in se est, animam aut men- tem intelligat? Negabit fieri id profectò pos- se, cùm oppositum per singula ferè momen- ta experiri contingat. Numquid igitur ea de Deo, qui immensus est, cognitio à nobis expectanda est, quam de nobis in etipisis, qui à nihilo

nihilo paulum distamus, vel sperare non possumus: Ridet hoc, neque immerito S. August. lib. 3. de Trinitate cap. 1. *Quo intellectu (inquietus) Deum capit homo, qui ipsum intellectum suum, quo eum vult capere, nondum capi?* Et grauius adhuc S. Cypr. in praefatione de Cardinalibus operibus Christi: Ergo si me ipsum nescio, si animae meae substantiam, & naturam ignoro; si eorum, quae in me sunt, rationem non intelligo; quam audaciâ supra me erigam oculos, ut videam principium sine principio, & finem sine fine attingam?

**D E I N D E** verò, si percontatus adhuc fuero, an, quia mens nostra semetipsam, vel animam suam, ut in se est, intelligere nequeat, nec nisi ad similitudinem rerum corporearum, quas sensu percipiimus; ut egregie in 2. oration. de Theolog. comprobat Nazianz. an idcirco, inquam, naturae suæ vim, conditionemque incorpoream esse posse, insciabitur? an similem rebus illis sese asseret, à quarum similitudine se intelligit? an fatebitur lineamenta membrorum, colorum pigmenta, magnitudinem, atque interualla partium, subiectosque sensibus corporis motus, aut imaginum, quae phantasia exprimit exempla, in animâ esse? Neutriquam, ut opinor; ne se talem esse poeniteat, qualem depingit: & argutè certè istius nos admonuit August. lib. 5. de Trinitate cap. 1.

*Videat*

*Videat* (inquit) utrum ibi videat illa lineamenta formarum, ritores colorum, spacioſam granditatem, partium distantiam, molis diſtensionem, aliquas per locorum interualla motiones: nihil certè iſtorum inuenimus in eo, quo in naturâ nostrâ nihil melius inuenimus. Quod ergo nō inuenimus in meliori nostro, non debemus in illo querere, quod longè melius est meliore nostro. Si ergo anima & mens nostra, cogitationem reuocantes, ac supra se denuò reflectentes, facile sibi persuadent, nequaquam se tales esse, quales cogitatio finixerat, sed perfectius aliquid, ac melius esse; nec se incorporeas esse denegant, et si hoc ipsæ non percipient: quid mirum si de Deo tam infinito atque immenso, fateantur, quia comprehendendi non potest, & eorum infinitè captum excedit, negandum haudquaquam de eo esse, quod illæ assequi non possint; quale scilicet istud est, eum trinum & vnum esse. Quinimò persuadendum potius sibiipsis, dignum hoc Deo esse, quod præ dignitate nimiâ, earum notitiam adeo supereret. Neque finitarum ullatenus rerum modulo, aut mensurâ, res infinitas metendas: quemadmodum neque suam ipsæ conditionem incorpoream, ad corporeorum, quae sensu cogitationeque percipiuntur, normam exigunt. Siquidem quod in finitis, quae apud nos sunt, rebus, fieri nullatenus potest,

H quale

114 *De Augustissimo mysterio*


quale nimis est trinitas personarum, in unitate naturæ; id in immensa Dei essentiâ, ob summam illius, & omnibus numeris absolutam perfectionem, necessariò fit.

Q V E M A D M O D V M denique mens nostra, animaduertens animâ nostram nihil eorum esse, quæ de illâ intelligit, sed meliorem eo omni esse, quod de illâ consequi cogitatione possit, in illius cognitionem, per ignorationem ducitur; atque incorpoream inde, suprâque omne quod de illa cogitat, esse colligit: ita de Deo credens, ob infinitam eius præstantiam, non esse qualis ipsa intelligit: quodque, innatis sibi viribus, comprehendere haudquaquam posse, quomodo trinus in personis, in essentiâ unus sit: ex eo ipso, quod non cognoscat, neque cognoscere omnino valeat, ad eius præstantiæ cognitionem prouehi, atque ascendere debet: atque ita se comparare, ut ex hac caligine, cognitionisque defectu, lucem, & cognitionem extraheat. Atque ita, veluti de subiugato sibi, intellectu per fidem, quâ creditum est in mundo, hoc sublime mysterium, victoriam claritatis, quam initio declarauimus, referat. Cuius victoriae interuentu, & gloriæ, illustrisque notitiae, quam Christus Dominus de hoc Sanctissimæ Trinitatis Sacramento in

115 *Sanctissime Trinitatis.*

in mundum inuexit, per quam assūptum est in gloriâ, clarissimum de nostris, quem de cæteris Sanctorum mentibus habuit, triumphum agat: per viuam, in hac vitâ, fidem, & per claram in altera eius visionem. Quam mihi & vobis, &c.

F I N I S.



1188